



BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
B
11
NAPOLI





JURIS PUBLICI UNIVERSALIS
THEOREMATA



JOANNIS M.AE LAMPREDI

FLORENTINI

IN PISANA ACADEMIA ANTECESSORIS

JURIS PUBLICI UNIVERSALIS

SIVE

JURIS NATURAE ET GENTIUM THEOREMATA

Quae ab eo in eadem Academia exponuntur & declarantur.

PARTIS I. TOMUS II.

In quo & Pars II. continetur.





LIBURNI A. D. MDCCLXXVII.

EXCUDEBAT VINCENTIUS FALURNUS
PRAESID. ADPROB.





JURIS PUBLICI UNIVERSALIS

SIVE

JURIS NATURAE ET GENTIUM THEOREMATA.

PARTIS I.

CAPUT XII.

De Jure in re aliena constituto, ubi de Pignore, Servitutibus, Emphyteusi, Censu, & Feudo.



§. 1. *De Pignore & Hypotheca.*

DUbiam hominum fidem solemnibus quos hactenus enumeravimus Contractibus obligatam interdum arctiori vinculo obstringit Creditor, postulatque ut praeter fidem datam sibi quid pretio aestimabile,

quod aut pluris, aut tanti ſaltem ſit quanti contracta obligatio aeſtimatur; debitor tradat, vel ita afficiat ut praeſtituto tempore debito non exſoluto, ipſi jus ſit illud diſtrahere, & venditionis pretio ſibi proſpicere & ad ſuum commodum pervenire. Jus iſtiuſmodi in re debitoris conſtitutum dicitur *Pignus*, vel *Hypotheca*, & quidem pignus ſi quod ſupponitur ob debiti ſecuritatem mobile eſt, & ad Creditorem tranſit, hypotheca vero ſi immobile, cujus nec ipſa ſimplex detentio tranſeat ad Creditorem (1).

Si naturale Jus ſpectes Creditor pignus & hypothecam naturalem in bonis debitoris habet, ſive ea poſſederit tempore

---

(1) Promiſcue tamen pignorata dicuntur tam mobilia quam immobilia, nec quidem immerito, nam quod apud Latinos pignus, idem apud Graecos hypotheca ſignificat, & tam mobilia quam immobilia ὑποτιθέμενα *recte dicuntur. Vid.* §. 7. *Inſt. De Act. L.* 5. §. 1. *ff. De Pign. & hypoth. L.* 2. §. 2. *ff. De Pign. Act. L.* 238. §. 2. *ff. De Verb. ſignif.*

contractae obligationis, sive ea postea quaesiverit, sive corporalia, sive incorporalia sint; atque adeo si solvere debitum detrectet ea Creditori jure proprio invadendi facultas est naturalis (1). Cum enim omnibus imposita sit obligatio ut suum cuique tribuat, & relativum jus aliis concessum est ut quod sibi debetur quocumque pacto vindicent. Si mitiora igitur desint media, & rem ipsam debitam persequi nefas sit, quin aliud tantundem valens etiam per vim licite arripere possim vix ambigendum; nam Jura omnia perfecta sive naturalia,

---

(1) *Jure civili non licet Creditori pignus arbitrio suo auferre, aut possessionem praedii hypothecae suppositi auctoritate propria adipisci, quod quidem ad praecavendas turbas utilissimum. Vid. L. 3. Cod. De Pign. & hypot. L. 11. ff. De Pign. Act. Ministerio enim Praesidis utatur oportet qui aliquid sibi debitum exsequi & exigere vult, quippe nemo in Civitate regulariter sibi jus dicit. L. 5. ff. De Acquir possess. L. 2. §. 18. ff. De vi bonor. rapt. L 7 8. ff. Ad Leg. Jul. De vi priv. L. 13. ff. Quod met.*

five hypothetica & contracta inutilia omnino dicenda effent, fi ea perfequi & explere Naturae Legibus vetitum effet. Itaque cum rem meam, aut mihi debitam confequi non poffum, ad tantundem licite feror, quod eft morali aeftimatione idem (1).

Dubitari tamen poffet quid juris ftatuendum fi plures contra debitoris bona concurrant eodem tempore ad expletionem juris, & fi debitor folvendo omnibus non fit quis potior in pignore & hypotheca habeatur. Creditorum concurfus eodem tempore in propofita quaeftione fupponitur, nam fi Creditores omnes forte quiefcant debitoris fide tuti, & quis eorum fibi debitum petat, & non folventis debitoris bona aggreffus ea loco pignoris occupet, jure fuo utitur, nec ceteris iniuriam facit, quibus imputandum quod non quaefierint ex debitoris bonis, cum adhuc in ejus dominio effent, debiti fecuritatem, & a-

---

(1) Hoc principio innituntur Juris expletiones inter Gentes, quae Reprefaliae *dicuntur, de quibus fuo loco.*

mici fortasse fidem sequi maluerint.

Si autem omnes eodem tempore jure naturalis hypothecae utantur vel quod una simulque, & veluti ex condicto bona debitoris aggrediantur, vel quod debitor aut expresse aut tacite confessus se omnibus solvendo non esse, bona sua omnia in solutum dederit, vel quod vita functus bona sua Creditoribus obligata reliquerit, videntur naturali ratione sequenti ordine Creditores praeferendi. Primo igitur ceteris omnibus anteferri merentur illi, a quibus aliquid impensum est vel ut debitor Patrimonium augeret, vel bona jam quaesita conservaret, vel pretiosiora & aestimabiliora redderet. Secundo eorum praevaleat jus aequum est, qui priores sunt tempore; primi enim in causa fuere ut debitor haberet unde Creditoribus suis satisfaceret, & pecunia sua effecerunt ut salva esset totius pignoris causa, atque adeo cum quodammodo gesserint utiliter Creditorum negotia, quidquid impenderint ad pignoris

conſervationem reſtituatur oportet (1): alteri vero juxta temporis prioritatem praeferendi, quod ex tempore Crediti Jus quaeſierint pro rata in bonis debitoris, quod a poſterioribus priore invito auferri nequit, ſi uno eodemque tempore adverſus debitoris bona concurrant. (2)

---

(1) Concord. L. 22. ff. De haered. vel act. vend. L. 31. §. 8. ff. De Aedilit. Edict. L. 7. Cod. Qui potior. in pign. L. 26. & 32. ff. De Reb. auct. Jud. poſſid. L. 6. §. 1. & 2. ff. Qui potior. in pign. vel hypoth.

(2) Concord. L. 2. & 4. Cod. Qui potior. in pign. Plura tamen ſunt privilegia Romanis Legibus introducta, per quae poſteriores tempore prioribus multoties praeferuntur; privilegia enim apud eos non tempore aeſtimantur, ſed ex cauſa, & titulo, et ſi eadem cauſa ſit, concurrunt, licet diverſitates temporis in his fuerint L. 32. ff. De Reb. auct. Jud. poſſ. ut ecce Hypothecarii Creditores Chirographariis praeferuntur. In praediis ruſticis fructus qui ibi naſcuntur, in urbanis quae in ea inducta illata ſunt locatori oppignorata pro penſione &c. cenſentur. L. 2. 3. 4. & 7. ff. In quib. cauſ. pign. & hypoth. L. ult. Cod. eod. L. 5. Cod. Locat. Fiſcus in rebus omnibus quas debitor poſt

In Naturali ſtatu igitur conventionalis hypotheca inutilis omnino, in Civili vero

contractam cum eo obligationem acquiſivit potior eſt, & Reſpublica Creditrix chirographariis omnibus creditoribus praefertur L. 28. & 46. ff. De Jur. Fiſc. L. 38. §. 1. ff. De reb. auct. Jud. poſſid. Impenſa funeris omne creditum praecedit L. 12. & 45. ff. De Religioſ. & ſumpt. fun. L. 17. ff. De reb. auct. Jud. poſſid. In bonis Menſularii (ſive publici Depoſitarii) poſt privilegia potiores ſunt qui pecuniam apud menſam depoſuerunt, & anterioribus creditoribus ob diverſum titulum praeferuntur L. 24. §. 2. ff. eod. L. 8. ff. Depoſiti: quod iniquum omnino eſt. Ex bonis enim publici Menſularii ſolvenda prius debita, quae ipſe tamquam privata perſona contraxit juxta prioritatem lege loci introductam, dein vero Creditores pecuniae depoſitae dimittendi primum ex ipſa pecunia depoſita, ſi reperiatur, dein ex facultatibus quae fraudatori ſuperſunt, iiſque exhauſtis, ipſa Reſpublica Deponentes indemnes praeſtet aequum eſt; ei enim improbi Miniſtri fraus & dolus jure meritoque imputatur. Cauſae reliquae, in quibus hypotheca tacite contrahitur Legum Romanarum auctoritate, ex uberiori Digeſtorum &

utiliſſima, quippe conventionalis hypotheca naturalem vincit juxta ordinem cujuſque loci legibus definitum.

Non idem dicendum de Pignore, quod Creditori in debiti ſecuritatem reipſa traditur ut illud vendat ſi intra conſtitutum tempus debitum non ſolvatur, eo enim utilior contractus iſtiuſmodi quo pretioſior res habetur quae extat quam ea quae ſit extitura; qui enim ſine pignore credidit futuram ſolutionem ſperat, qui autem cum pignore certo novit. Itaque in contractu pignoratitio Creditor Jus exigendi debitum cum jure vendendi praeſtituto tempore rem certam debitoris permutat.

§. 2. *Conſectaria ex Natura Pignoris.*

I. Jus igitur Creditori in pignore nullum aliud eſt, niſi ut illud vendat ſolutio-

---

Codicis lectione hauriendae, quippe quae ad Jus Naturae vix pertinent: quapropter nec eadem apud omnes Gentes Creditoribus privilegia conceduntur, nec eaedem ſunt hypothecae legales. Vid. tot. tit. ff. Qui potior. in pign. & hypoth. Tit. De reb. auct. Jud. poſſid. & relat. Tit. in Cod.

ne non facta (1), medioque tempore custodiat detineatque apud se tantum, non autem eo utatur (2).

II. Et cum jus vendendi transtulerit debitor, quod uni domino competit, quae sua sunt tantum pignori dare potest, non aliena, nisi Dominus in pignus rei suae aut tacite aut expresse consentiat (3).

---

(1) Concord. L. 4. ff. De Pign. Act. L. 9. & 14. Cod. De Distract. Pign.

(2) Si Creditor pignore utatur furti tenetur L. 54. ff. De Furtis.

(3) Vid. L. 17. & 26. §. 1. ff. De Pign. & Hypoth. L. 3. & 5. Cod. si aliena res pignor. data sit. Quapropter Jure Civili datur contra oppignorantem de dolo actio, & stellionatus poena plectitur dolosus simulator L. 36. §. 1. ff. De Pign. Act. Licet tamen & alienam rem pignori dare sub conditione si debitoris facta fuerit. Vid. L. cit. 17. ff. De Pign. & 5. Cod. si aliena &c. Quaedam sunt licet sua, quae Jure Civili pignori vel hypothecae data obligari non possunt, ut ecce vestis, lectum, instrumenta ruralia, boves aratarii, stipendia militum, dona Principis &c. quae tacite excepta intelliguntur sub generali bonorum hypotheca L. 7. ff. De Pign. & hypoth. L. 1. 7. 8. Cod. Quae res pign. Le-

III. Apud creditorem eſt rei oppignoratae detentio, apud Debitorem Dominium qui ipſum in alium transferre poteſt, ſalvo Creditoris jure, creditor autem Jus Pignoris alteri cedere, vendere poterit eo quod jura noſtra quaeſita diſtrahere, aliisque cedere facultas Jure Naturae eſt (1), ſervata tamen debitori reluendi pignoris facultate,

---

ges enim praeſumunt credibile non eſſe eas res ſpecialiter debitorem pignori dare, & ſub generali pacti conventione contineri voluiſſe: quae quidem praeſumptio licet fortaſſe Civitatis bono utilis, attamen nullum in Jure Naturae fundamentum habet, cuique enim licet uti & abuti rebus ſuis ex ſententia. Quapropter nec ubique ea praeſumptio veluti legitima habetur, & res exceptae utiliter pignori ſupponuntur.

(1) Vid. L. 3. ff. Quae res pign. L. 11. §. 4. 16. ff. Qui potior. in pign. L. 22. Cod. De Pign. Exinde ſubrogationes & ſucceſſiones in locum Creditoris vel Judicis auctoritate, vel Legum praeſcripto conceſſae naturali aequitate innituntur, quoties ſucceſſio ſolventem pecuniam juvat, & nemini injuriam facit. Vid. Tot. tit. Cod. De his qui in pr. Cred. loc. ſucced. & LL. ſupr. cit.

ceterisque juribus quae adversus primum pignoris detentorem ipsi competunt.

IV. Pignus debitori perit, apud quem est dominium, & quidquid commodi sive incommodi accessit sine Creditoris culpa ad eum pertinet (1).

V. Si res fructifera pignori data sit, aut ea quae accessione aliqua augeri possit, quidquid postea rei oppignoratae accedit tenetur, cum enim pignus includat jus vendendi eo jure multoties uti non possem si accessiones cum ipsa re vendere vetitum esset (2).

VI. Quaesitum est an elapso solutionis tempore a Creditore Debitor monendus de proxima pignoris distractione, & mihi monendus esse videtur; quippe cum lex Naturalis jubeat ut in exsecutione juris sui non tantum alterius damnum, sed etiam

---

(1) *Concord.* §. *ult. Instit. Tit. Quib. mod. re contr. obligat. L.* 5. *&* 6. *Cod. De Pign. act. L.* 21. §. 2. *ff. De Pign. & hypoth.*

(2) *Concord. L.* 13. *&* 29. §. 1. *&* 2. *ff. De Pign. & hypoth. L.* 16. 18. 21. *ff. De Pign. Act.*

damni inferendi periculum vitemus, cum non bene constet an Debitor luere pignus velit non interposita uleriori mora, aut ipse pignus vendere potius velit, sibique adeo fortasse melius consulere, aequum est ut a Creditore moneatur, tum ne in malae fidei suspicionem incurrat, tum ne quid detrimenti afferat debitori (1).

VII. Quae de Pignore proprie dicto exposuimus eadem facile & ad hypothecam

---

(1) Apud Romanos jus erat Creditori propria auctoritate distrahendi pignoris L. 4. *ff. De Pign. Act. L.* 3. *&* 9. *Cod. De Distract. pignor. nisi forte convenisset ne distraheretur; tunc enim creditor si distraxerit furti obligatur, nisi debitori fuerit denunciatum ut solvat, & cessaverit. At fere ubique gentium naturalis aequitas est revocata in pignorum distractione, quae fit Judicis auctoritate multis servatis solemnibus, hasta plerumque posita, & adhibita licitatione, & addictione plus licitanti facta. Dispositio autem* Justinianea *L. ult. Cod. de Jur. Domin. impetr. nullibi fere servatur, cum plerarumque Gentium moribus Creditores ipsi hypothecarii qui subhastationem obtinuerunt ad licitandum admittantur.*

tum conventionalem, quam legalem aptari possunt.

VIII. Cum licitae usurae sunt & Antichresim licitam esse non ambigitur, sive pactum quod pignori fructifero accedit, ut Creditor fructus percipiat loco usurarum donec pignus luatur (1); si enim fructus licitarum usurarum mensuram non excedant (2), statuto rerum pretio, non video in quo Antichresis a contractu foenebri differat.

IX. Quaesitum est an in Contractu Pignoratitio, cui accessit Antichresis, solutione a debitore oblata restituendum sit pignus & acceptanda solutio, & non restituendum videtur nisi Creditor a fructifero

---

(1) *Vid. L.* 11. §. 1. *ff. De Pign. & hypoth.*

(2) *Si excedant aequum est ut qui supersunt restituantur; nisi aliter propter incertum fructuum proventum partes contrahentes convenerint, aut convenisse legitime praesumantur. Vid. L.* 1. 2. & 3. *Cod. De Pign. Act. L.* 1. *Cod. De Distract. pign. L.* 17. *Cod. De Usuris.*

pignore tantundem fructum perceperit, quanti aeſtimantur uſurae; id enim ex ipſa Contractus natura ſequi dicendum eſt, niſi quis velit ut Contractus iſtiuſmodi illuſorius omnino fiat.

X. Cum libera contrahentium voluntas Contractibus legem dicat, poterunt contrahentes quamcumque honeſtam, licitamque conditionem oppignorationi apponere, puta ut interitus pignoris liberet debitorem (1), ut creditor ex penſionibus vel fructibus pignoris creditum recipiat (2), ut ſi intra certum tempus non ſit ſoluta pecunia, Creditor jure emptoris poſſideat rem juſto pretio, tunc aeſtimandam (3); ut Creditori non liceat pignus vendere (4), ut pactum commiſſorium pignori accedat, ut nempe niſi debitor intra certum tempus pignus luat proprium Creditoris fiat; quod

---

(1) *Vid. L. 6. Cod. De Pign. Act.*
(2) *L. 20. ff. De Pign. & hypoth.*
(3) *L. 16. §. 9. ff. eod. L. 1. Cod. De Pact. pign.*
(4) *L. 4. in fin. ff. De Pign. Act.*

quidem licet Jure Romano vetitum (1), attamen Jure Naturali externo licitum esse patet, cum cuique de rebus suis, uti libuit statuendi facultas sit. Jure interno tamen, & pretio rerum constituto pretium pignoris debito aequipolleat oportet.

§. 3. *De Servitutibus*.

Si quis licite dominium rei suae transferre potest, poterit etiam & dominii partem alienare, sive alteri actionem vel positivam vel negativam cedere, quae ipsi veluti Domino competat: Cessiones istiusmodi *Servitutes* dicuntur, quae alienae utilitatis gratia constituuntur, atque adeo veluti Personales haberi omnes possunt (2).

---

(1) Vid. L. ult. Cod. De Pact. Pign. & de Leg. commiss. in pign. rescind.

(2) Romani servitutes in personales, & reales partiuntur: alteras dicunt cum res personae, alteras cum res rei servit. Liquet tamen nonnisi improprie rem rei servire dici, & jura quae facultates morales sunt, rei physicae & inanimatae aptari; servitutes enim nil aliud sunt quam jura in rebus alienis constituta, quorum vi dominus pati tenetur ut alter in re sua faciat, quod dominii jure

Quot ſunt utilitates & emolumenta, quae ex Dominio ortum ducunt, tot etiam ſervitutes eſſe poſſunt, atque adeo translati juris, ſive conſtitutae ſervitutis quantitatem ſola transferentis voluntas dimetitur; ita ut ſi utilitatum Summa, quas ex Dominio rei meae habere poſſum aequalis ſit 100. Servitutes impoſitae per ſeriem arithmeticam ad eum numerum creſcere poſſunt, ut mihi nudum domini jus abſque ullo emolumento ſuperſit.

Frequentiores tamen ſervitutes Juriſconſulti Romani complexi ſunt, eiſque nomina certa (1), certamque juris quantitatem impo-

---

impèdire potuiſſet, vel ſibi obligationem imponit id non faciendi, quod eodem dominii jure facere ſibi licuiſſet. Perſonales igitur ſunt ſervitutes omnes, quarum ſubiectum eſt actio humana vel poſitiva vel negativa.

(1) Ut ecce uſumfructum, uſum, habitationem, operas legatas ſervitutibus perſonalibus accenſuerunt, realibus vero ſervitutes tigni immittendi vel proiiciendi, luminis non aperiendi, altius non tollendi, ne luminibus officiatur, proſpectus, ſtillicidii, cloacae,

imposuerunt, quod licet fortasse utile in Civitate ad lites compescendas, attamen adeo civile est, ut integrum sit ceteris Legumlatoribus & diversam vocabulis significationem imponere & quantitatem juris diversam definire.

Nos, ut solemus, nonnulla quae magis ab Jure Naturae in Romanis Legibus discedere videntur indicabimus, cetera enim a Contrahentium voluntate omnino pendent (1).

§. 4 *De Jure effodiendi metalla in fundo fructuario.*

Ususfructus igitur est juxta Romanorum mentem jus utendi fruendi alienis re-

---

fluminis, fumi immittendi, quibus accesserunt servitutes praediales rusticae iter, actus, via, aquaeductus, aquae haustus, pecoris pascendi &c. de quibus agitur in Pandectarum libris septimo & octavo, qui adeundi.

(1) Servitutes enim ut ceterae omnes praestationes pactionibus, mutuisque promissis & acceptationibus, uno verbo consensu Domini, ad quem jura omnia ex dominio derivantia

bus falva earum fubftantia (1), ex cujus juris natura fequitur fructuarium re aliena uti frui non poffe nifi ficuti eft, atque adeo fubftantialem rei mutationem, ejusque deteriorationem ipfi vetitam, eamdem enim rem finito ufufructu domino reftituere debet.

Si quis rem probe perpenderit facile in eam ibit fententiam aurifodinas, lapidicinas, ceterafque earum rerum, quae in terrae vifceribus delitefcunt, effoffiones inftituere non poffe fructuarium, tum quod metalla, ceteraque foffilia fundi fructus non funt, nec enim ut ceteri fructus nafcuntur, videlicet ut fruges ab agro, foetus a grege, foenum a prato, fed femel effoffa aut non amplius, aut forfitan poft longum temporis intervallum gignuntur, atque adeo non ad fructus, fed ad fundi fubftantiam pertinent; tum quod cum ejufmodi

---

pertinent, conftituuntur. An Praefcriptio & Ufucapio quid valeat ad fervitutes inducendas in Jure Gentium dicemus.

(1) Concord. L. 1. ff. De ufufr. & quemadmod. pr. Inftit. Tit. eod. L. 5. pr. ff. Si ufusfruct. petat.

effossiones institui nequeant nisi in amplas cavitates, profundosque hiatus terra scindatur, tota fundi facies, & substantia immutatur, atque adeo fundus istiusmodi ab intacto fundo plurimum differt, nec identitas in restitutione obtineri potest: fructus autem colligendi sunt a fructuario dummodo substantia rei fructiferae non immutetur.

Contrarium tamen docent Jurisconsulti, & metalla, ceteraque istiusmodi quae e terrae visceribus effodiuntur, in fructu esse asserunt (1). Non negamus civilibus legibus fieri posse, ut inter fructuarii jura, & fossilium colligendorum jus enumeretur; id tamen ex ipsa ususfructus natura non procedere, ceterisque Jurisconsultorum regulis contradicere affirmamus. Ajunt enim annosas arbores, aut sylvam non caeduam caedere fructuarium non posse (2), quia fundus deterior fieret; at nonne deterior

B 2

(1) *L.* 9. §. 3. *L.* 13. §. 5. *L.* 59. §. 1. *ff. De Usufructu et quemadm.*
(2) *L.* 10. 11. 12. 19. *ff. eod.*

ſit fundus ſi centum millia pondo auri vel argenti, quod in terrae viſceribus delitescebat, eruantur, quam ſi quinque vel ſex caedantur annoſae arbores? Ajunt etiam fructuarium nec ſylvam ad pratum, nec voluptarium praedium ad alium modum convertere poſſe eo quod cauſam proprietatis deteriorem facere non debet (1): at nonne deterior cauſa ſit proprietatis ſi venae metallorum inquirantur, & eruantur facie fundi omnino immutata? Id quidem & ipſe ſenſit *Ulpianus*, parumque ſibi conſtans jus iſtiuſmodi denegavit fructuario, ſi fortaſſe quas ipſe inſtituit aurifodinae, lapidicinae, aliaeque foſſilium collectiones coelum corrumpant agri, aut magnum apparatum ſint deſideraturae opificum aut legulorum, quae non poteſt ſuſtinere proprietarius (2): parum ſibi conſtitit, inquam, *Ulpianus*; nam ſi foſſilia ad fructuarium pertinent, poterit ſuo jure uti etiamſi ali-

---

(1) L. 7. *in fin.* L. 8. 10. 13. §. 4. 7. 8. L. 15. §. 3. 5. *ff. eod.*

(2) L. 13. §. 5. *et* 6. *ff. eod.*

quid damni proprietario obveniat, nam ei, qui in exsecutione juris perfecti alteri damnum affert, damnum non imputatur.

At si fundi usufructus concederetur, cujus praecipuos fructus lapidicina, aut aurifodina jam instituta praeberet, non ambigitur & eas in fructu esse (1); praesumitur enim eum qui constituit usumfructum in deteriorationem consensisse eodem pacto, quo in deteriorationem necessariam, quam lapsus temporis arboribus frugiferis affert, consensisse praesumitur.

Naturale etiam non est ut si fructuarius mortem obeat antequam fructus pendentes perceperit, fructus omnes ad proprietarium pertineant (2). Nos distinguendum

---

(1) *Concord. L.* 9. §. 2. *ff* *eod.*

(2) *L.* 25. §. 1. *in fin. ff. De Usur. et fruct. L.* 13. *in fin. ff. Quib. mod. ususfr. L.* 8. *in fin. ff. De Ann. Legat. Jus Saxonicum contrarium omnino statuit; jubetque ut si campi sati jam sunt, aut vinea putata vivente fructuario ad ejus haeredes fructus pertineant. Vid.* Huber. *Praelect. Cap.* 8. Wernher. *Elem. Jur. Nat. et Gent. Cap.* 14. §. 42.

cenſemus inter fructus naturales & induſtriales, & primos quidem ad proprietarium ſpectare affirmamus, cujus ſunt jura omnia, quae a dominio ortum ducunt ſtatim ac jus fructuarii expiravit, alteros partim haeredibus fructuarii pro rata culturae & operae, partim domino pro fundi pretio acquiri habita temporis ratione, quo fructus quodammodo alieni in ſuo pendent ſolo; fructus enim pendentes non tam fundi fructus haberi debent, quam induſtriae fructuarii. Si igitur proprietarius ſuos omnes faciat, alienae operae pretium eriperet, fieretque locupletior cum aliena jactura (1).

---

(1) Sunt qui aſſerunt eam legem a Romanis latam circa fructus pendentes et a fructuario non perceptos ratione non carere: uſufructu enim legato jubebatur haeres a fructibus licet maturis colligendis abſtinere, si cum dies legati ceſſerit, adhuc pendentes fructuarius inveniſſet L. 27. ff. De Uſufruct. et quemadmod. Aequum igitur fuit ut maturos et pendentes etiam reſtitueret. At non magni ponderis ejuſmodi argumentum mihi videtur, si enim fundum fructuarius habuiſſet

§. 5. *De Jure Domini in Fructuarium.*

Cum fructuarii ea sit obligatio ut rebus utatur fruatur salva substantia, ut idem quod datum est proprietario restituat, jus relativum domino competat oportet cogendi fructuarium ut causam proprietatis culpa aut dolo deteriorem non reddat. Huic juri certos fines Natura non praescribit, licitique actus omnes dicendi sunt, sine quibus eum finem obtinere proprietarius nequit, dummodo jus suum exsequatur cum mini-

---

post messem, & post factas in sationem et similia impensas decessisset? Sed fructus, ajunt, jure Romano intelliguntur qui supersunt, deductis impensis, atque adeo fructuarii haeredibus restituendum quidquid impensum est pro agri cultura, atque adeo nulla ipsis fit iniuria, quod falsum est; nam cum Testatoris mens fuerit ut ex fundo legato aliquid utilitatis fructuarius perciperet donec in vivis esset, si tantum quod impensum est in messem parandam, colendumque agrum restituitur non solum nullam utilitatem ex usufructu capit fructuarius, sed damnum patitur; poterat enim ex impensa pecunia aliunde lucrum facere, qua iniuria haeredes ejus privantur.

mo fructuarii detrimento. Civiles igitur Leges, per quas uſusfructus finitur non utendo per modum & tempus, aut utendo cum rei fructiferae jactura poenales potius ſunt, quam naturales (1).

---

(1) *Apud Romanos jure antiquo ſervitutes omnes non utendo per biennium peribant.* Juſtinianus *compendioſum hunc interitum emendavit, juſſitque ut uſusfructus, ceteraeque ſervitutes omnes amitterentur non utendo per decennium contra praeſentes, per viginti annorum ſpatium contra abſentes. Vid.* §. 3. *Inſtit. Tit. De Uſufr.* L. 14. & 28. *ff. Quib. mod. uſufr. amitt.* L. 10. *ff. Quemadmod. Servit. amitt.* L. 13. & *ult. Cod. De Servit. & aqua. Sunt tamen aequitati naturali conſentaneae Leges, quae jubent ut fructuarius, vel uſuarius, eodem enim loco ambo habentur, caveat ſe fruiturum uſurum boni viri arbitratu, & finita ſervitute rem eamdem in ſpecie reſtituturum* L. 1. *pr.* L. 5. *ff. Uſufruct. quemadmod. caveat. Quapropter et permittendum proprietario ut inventarium conficiat ut reſtitutionis tempore conſtet quarum, qualium, quantarumque rerum uſufructus datus ſit, et ut idoneos fidejuſſores ab uſufructuario exigat, qui cautionem interponant de futura reſtitutione, ne proprietarius jure fr...*

§. 6. *De Emphyteusi*.

Proprietatis jura duo sunt essentialia, nempe jus alienandi, & jus immutandi fundi substantiam. Si in fructuarium etiam jurium hujusmodi partem transferat proprietarius, ut ecce, facultatem det immutandi fundum fructuarium, vel etiam certa lege alienandi, jus distinctum a simplici usufructu oritur, quod tam diversum, variumque esse potest, quam diverse jura illa proprietatis essentialia modificari dominus potest fructuarii favore. Jus igitur fructuarii sola domini transferentis voluntate ponderatur.

Attamen consuetedo invaluit ut si quis rei suae usumfructum cum facultate immutandi substantiam, aut etiam alienandi certa lege sub annuo canone in agnitionem dominii aut in perpetuum, aut ad longum tempus tradat, jus ex ejusmodi concessione possessori enatum *Emphyteusis* dicatur,

---

aut malitia, aut inopia fructuarii destituatur L. 5. §. 1. L. 13. ff. De Usufr. et quemadmod.

si vero pro annuo Canone servitia sibi stipuletur Proprietarius & ne res sine suo consensu alienetur *Feudum* (1): de utrisque generalia principia, ut solemus, exponenda.

§. 7. *Consectaria ex natura Juris Emphyteutici.*

I. Quia canon, seu pensio traditur in

---

(1) *Jus hoc in re aliena constitutum dicitur* dominium utile, *quod utilitates fere omnes, quae ex dominio ortum ducunt in alium a proprietario translatae sint, jus autem quod sibi reliquum esse voluit habita proprietatis ratione Dominus, dominium directum. Emphyteusis graecum vocabulum latine plantationem, sive insitionem significat quod principio agri sterilis et minus fructiferi colonum fortasse non reperientes sub modicae pensionis lege concederentur cultoribus, ut plantatione et cultu meliores, utilioresque redderentur. Mos deinde invaluit ut foecundi etiam agri, quin et urbana praedia vel ut diruta reaedificarentur, vel ut in meliorem redigerentur statum, in emphyteusim concederentur, quamvis meliorationem per plantationem, similemque culturam non recipiant. Vid. Authent. Si quas ruinas. Cod. De Sacrosanct. Eccles. Novell. 120. Cap. 1. §. ult. et Cap. 6. §. 2.*

agnitionem dominii, ejus quantitas a voluntate transferentis pendet, nec rationem habeat ad fructus fundi emphyteutici necesse est, atque adeo si fortasse aliquando accidat, puta sterilitatis, aut inundationis causa ut fructus nulli sint Canon jure externo solvendus (1): jure externo, inquam, nam si canon redditibus fundi emphyteuticarii sit aliquo pacto proportionalis, & vi majore aut fundus imminutus, aut infructuosus factus, ut Dominus Canonis partem remittat aequitas postulat naturalis, tunc enim ad locationem conductionem contractus propius accedit. Quin si ager vectigalis, sive emphyteuticarius adeo diminutus sit sine culpa & dolo (2) possesso-

---

(1) *Concord.* L. 1. *Cod. De Jur. Emphyteut. ubi quae fortuito casu eveniunt damna non domino, sed emphyteutae tribuuntur nisi* tanta emerserit clades, quae prorsus etiam ipsius rei faciat interitum. *Vid.* §. 3. *Instit. De Locat. et conduct. L.* 15. §. 2. *et* 4. *L.* 25. §. 6. *ff. Locat. conduct.*

(2) *Si autem culpa emphyteutae vel perierit ager, vel infoecundior factus sit Canonis solutionem subterfugere non poterit aut ...*

tis, ut fructus non amplius Canoni reſpondeant, emphyteutae jus erit a contractu recedere, & dominium utile domino reſtituere, cum cuique liceat beneficio ſibi collato renunciare.

II. Domino directo jus illud tantum reliquum eſt, quod reliquum eſſe voluit, nempe exigendi canonem, non autem privandi Emphyteutam jure ſibi quaeſito ſi canonis ſolutionem protraxerit (1), niſi id expreſſe in ſtipulationem deductum ſit.

---

contractu recedere, nisi proprietarium indemnem praeſtet, aequum enim eſt ut qui damnum dedit illud propria reparet impenſa. L. 7. ff. De Aqua et aquae pluv. L. 65. ff. De uſufr. et quemadm. L. 203. ff. De Reg. Jur.

(1) Jure Romano si emphyteuta per triennium in mora fuerit ab emphyteusi cadit L. 2. Cod. De Jur. emphyt. Novell. 7. Cap. 3. §. 2. Nec morae purgationem Romanum jus admittit argum. Tit. ff. De Leg. commiſſ. L. 23. ff. De recept. qui arbitr. recep. L. 23. ff. De Obligat. L. 35. ff. De Condict. indebit. purgationem tamen mediocris morae fere ubique leges aequiores admiſerunt.

III. Si emphyteuta causam proprietatis deteriorem faciat directum dominum laedit, ad quem pars proprietatis spectat. Itaque tenetur ad id quod interest, dominoque competit jus cogendi emphyteutam, ut a fundo deteriorando abstineat, non eum privandi jure emphyteutico, quod poenale & civile est.

IV. Cum Dominium utile jus emphyteutae sit, illud ab eo in alium transferri posse, salvis domini directi juribus, non ambigitur.

V. Cetera quae hic exponi possent de Laudemio, de consensu domini in alienatione fundi emphyteutici, de quinquagesima parte pretii ei solvenda ab emptore, de Jure praelationis, vel a voluntate contrahentium pendent, vel a civilibus Constitutionibus, quae Legumlatorum arbitrio variabiles esse possunt (1).

---

(1) Vid. tot. Tit. Cod. De Jure Emphyteut. et ff. Si ager vectigal. ibique Comment.

§. 8. *De Jure Censitico et ſuperficiario.*

Jus etiam in re ſua conſtituit; qui alteri jus dat ut e fundo ſuo fructifero annuos percipiat fructus, vel ut in fundo ſuo aedificium habeat. Primum Jus dicitur *Cenſus* (1), qui ſi emitur venditur contractus licitus eſt in ſtatu Civili, ſi fructus qui percipiuntur licitas uſuras non excedant: alterum vero *Jus ſuperficiei* nuncupatur, quod nonnulli (2) amitti omnino docent ſi aedificium a fundamentis corruat aut comburatur, quod quidem mihi falſum videtur; cum enim jus illud in eo ſitum ſit, ut quis habeat aedificium in alieno ſolo non video cur primo aut combuſto aut diruto, alterum excitari nequeat.

---

(1) Diverſa omnino eſt apud Latinos, vetereſque Juriſconſultos Cenſus ſignificatio. Cenſus enim nil aliud erat quam deſcriptio et aeſtimatio bonorum juxta ac perſonarum, et ob id agebatur non ſolum ut de cujuſque facultatibus conſtaret, ſed ut tributa et vectigalia imponi poſſent. Vid. tot. Tit. ff. De Cenſibus.

(2) Vid. Pufend. *Lib. 4. Cap. 8. §. 4;* *et ibi* Barbeyr. *not. 3.*

§. 9. *De Feudo*.

Emphyteusi proximum est Feudum, & in eo tantum differt, quod primum jus sub annua pensione constituitur, alterum sub conditione mutuae fidelitatis. Feudum enim non incongrue definiri potest jus in praedio alieno in perpetuum vel ad tempus utendi fruendi, quod pro beneficio dominus dat ea lege ut qui accipit sibi fidem & servitium aliquod exhibeat (1). Nomina

---

(1) *Vid.* Cujac. *Lib.* 1. *Feud. Tit.* 1. *De Origine Feudorum et vocis etymo diversa tradita sunt a Scriptoribus rerum Feudalium, quae huc referre instituti nostri ratio non patitur. Consulendi inter multos* Giphanius *De Feudis Cap.* 2. *n.* 4. Rittershus. *De Feudis Lib.* 1. *Cap.* 1. *n.* 2. *et seqq.* Vultejus *De Feud. Lib.* 1. *Cap.* 1. Alteserra *De Origin. et stat. Feud. Cap.* 1. Du Cange *cum addition. Monach. S. Bened. Verb. Feudum. Tom.* 3. *Gloss. med. et infim. Latinitat. Illud hic loci animadvertendum est quod quamvis principio Feuda tantum in immobilibus constituerentur, postmodum mos invaluit ut etiam in mobilibus, iisque rebus quae solo aequiparantur constituerentur, cujusmodi sunt quae Feudistae vocant Feuda* soldatae,

quidem hic varia (1), ſubſtantia tamen contractus eadem ac in emphyteuſi. Cetera a Contrahentium voluntate, conſuetudine, & Legibus cujuſque Curiae pendent, atque adeo immobilibus Juris Naturae regulis non ſubiiciuntur.

Nam

ſeu Camerae *et* Cavenae, *quae in Jure annuae praeſtationis consiſtunt*; Camerae *enim dicitur, cum Vaſſallo annua pecuniae quantitas tribuitur ex aerario Domini*, Cavenae *autem cum ſtipendium ex cavea, cella, ſeu penu Domini ſolvitur, ut ecce pars annonae, vini, frumenti etc.* quae ſoldatae *dicuntur, quasi in jure exigendae mercedis* (ſoldo) *ſint conſtituta*.

(1) *Qui Feudum accipit* Vaſſallus, miles, beneficiatus, devotus, homo, fidelis infeudatus *dicitur, qui vero Feudum dat* Dominus, *&* *quandoque* Senior. *Vid. Lib. 1. Feud. Tit. 1. in fin. Bona Feudo ſuppoſita* Feudalia *dicuntur, quae autem fidei vinculis ſoluta & libera ab omni clientela ſunt* Allodia *ſive* Alaudia *dicuntur. Feudum autem quandoque ſignificat ipſum jus in re aliena conſtitutum, quandoque ipſam rem juri ſuppoſitam Lib. 2. Feud. Tit. 26. §. 1. & Tit. 27. Nomina tamen rem non mutant, & Feudum fere per omnia aequiparatur emphyteuſi*.

Nam quae Jurisconsulti *naturalia* & *substantialia* Feudi appellant, ut ecce, Dominium utile, & Fidelitas in Vassallo, Directum vero, & mutua fidelitas in Domino, non adeo ex Natura Contractus definiuntur, ut diversa esse non possint juxta varios Gentium mores, & contrahentium voluntatem; fidelitas enim servitia quidem complectitur eminenter, non specialiter, & ut ajunt, taxative (1). Quae ex contra-

---

(1) *Exinde diversae Feudorum denominationes juxta varias leges, consuetudines, & voluntates contrahentium. Feuda* ligia *dicuntur, in quibus Vassallus servitia praestat contra omnes*, non ligia *si quae excipiuntur personae*, franca *cum Domino sola fidelitas in genere*, non franca *cum praeter fidelitatem etiam ordinaria servitia praestantur. Exinde etiam feudum* perpetuum *quod ad descendentes transmittitur*, temporale *quod morte Vassalli finitur*, haereditarium *quod cum haereditate Vassalli transit ad quoscumque extraneos*, non haereditarium *quod ad solos agnatos transmittitur* ex pacto & providentia *primi acquirentis*, proprium, improprium, nobile, ignobile, regale, non regale, &

ctus natura ſequi videntur haec ſunt quae ſequuntur.

I. Si vel Dominus vel Vaſſallus immutetur contractus Feudalis eſt innovandus (1), niſi contrarium expreſſe in ſtipulationem deductum ſit; nam cum fidelitas obligatio ſit perſonalis, neque in alium

---

cetera hujuſmodi, ex quibus manifeſte patet mutuas tam Domini quam Vaſſalli obligationes vel ex conſuetudine cujuſque Curiae vel ex voluntate contrahentium deducendas eſſe. Idem dicendum de Inveſtitura, *ejuſque ſolemnibus, de Laudemiis &c. quae quidem diverſa ſunt juxta diverſitatem Curiae Domini directi, ubi Vaſſallus inveſtitur, quod & ipſe fatetur Feudiſta Lib. 2. Feud. Tit. 23. & quamvis quaedam Feuda ſint, quae ſervitia quodammodo habeant definita, cujuſmodi ſunt quae vocant* Guardiae, Gaſtaldiae, Advocatiae, *attamen ſervitii modus & tempus conſuetudine & moribus determinatur.*

(1) Concord. Lib. 2. Feud. Tit. 24. & Tit. 40. Innovatur autem contractus per petitionem Inveſtiturae quae ſit per modum & tempus conſuetudine vel legibus curiae domini infeudantis conſtitutum, niſi de ea re cautum ſit in prima Inveſtitura. Vid. lib. 1. Feud. Tit. 22. & Tit. 24.

voluntate transferentis transmitti possit, successor obligationem contrahere nequit nisi promittendo.

II. Rem Feudalem a Vassallo alteri in subfeudum dari posse, salvis Domini directi juribus, nemo est qui dubitet; quisquis enim dominium utile in re aliena habet cum proprietatis aliqua parte potest illud in alium transferre iis appositis conditionibus, de quibus partes convenerint (1).

---

(1) *Concord. Lib.* 1. *Feud. Tit.* 1. *pr. Tit.* 7. 15. 16. 17. *Lib.* 2. *Tit.* 10. *Si tamen non in subfeudum conceditur, sed alienatur Feudum ad exemplum emphyteusis consensus domini accedat oportet post Constitutionem* Lotharii *&* Friderici *Lib.* 1. *Feud. Tit.* 13. *pr. Lib.* 2. *Tit.* 44. 52. 56. *Tunc autem si Feudum antiquum sit, quod ad successores transmittatur ex providentia primi acquirentis, alienatio valet quamdiu vivit alienans Lib.* 2. *Feud. Tit.* 26. §. 5. *Tit.* 34. §. 2. *Tit.* 52. 55. *Nonnullibi tamen constitutio* Lotharii *&* Friderici *recepta non fuit, et Feuda sine consensu domini alienantur saltem ad alienantis vitam si antiqua sint, laudemiis tantum domino solutis. Vid.*

III. Cum praeſtanda ſit mutua fidelitas nequit Vaſſallus licite Feudum Domino renunciare, ſi renunciatio damnum Domino inferat, ut ecce, ne praeſtet ſervitia, quibus Dominus indiget, vel ut hoſtiliter contra eum agat &c (1). Si nullum vero emergat Domino damnum renunciari poſſe puto Feudum; Fidelitas enim modus eſt quodammodo, quem ſi quis implere nolit, & beneficio ea de cauſa collato renunciet nemini injuriam facit.

IV. Exinde fit ut tam Vaſſallus, quam Dominus jure ſuo naturaliter excidat ſi modum non impleat, vel *feloniam* admittat. *Felonia* autem dicitur actio tam poſitiva, quam negativa obligationibus Feu-

---

Roſenthal. *De Feudis Cap.* 9. *Concluſ.* 58. Gudelin. *De Feud. P.* 4. *Cap.* 2. *num.* 16. Matthae. *De Auction. Lib.* 2. *Cap.* 4. *num.* 16. *pr. et num.* 27. *in fin.*

(1) *Diſcord. Lib.* 2. *Feud. Tit.* 14. *et* 38. *in fin. ubi conceditur Vaſſallo ut Feudum renunciet Domino etiam invito et reluctanti ſive ſimpliciter, ſive ut proxime ſuccedens agnatus inveſtiatur.*

dalibus in contractu definitis contraria (1). Si quis enim modum non impleat, juri quod sibi ex impleto modo quaerebat, renunciasse praesumitur. Attamen ut tacitae ejusmodi renunciationi locus sit, oportet ut fidelitatis violatio & non exigua sit & constans; levis enim culpa, praecipue si reparatio oblata illico sit, veluti renunciatio tacita praesumi minime potest.

V. Si tamen Feloniae causa quis Feudo privatur non jus successoribus adimitur; ipsis quippe nec culpa aliena imputari, nec ob factum alienum jus auferri quaesitum potest. Infideli igitur Vassallo vita functo Feudum successoribus Naturali Jure restituendum (2),


---

(1) *Actiones in genere, quae* feloniam *continent, enarrantur in Lib.* 1. *Feud. Tit.* 5. 17. 21. *et Lib.* 2. *Tit.* 24. 54. 57. *Vid.* Rosenthal. *De Feud. Cap.* 10. *Conclus.* 16. Rittershus. *De Feud. Lib.* 2. *Cap.* 5. *De Felonia autem Domini vid. Lib.* 2. *Feud. Tit.* 6. *Tit.* 26. §. 5. *Verb. Domino committente. et Tit.* 47.

(2) *Discord. Lib.* 2. *Feud. Tit.* 26. §.

CAPUT XIII.

Quibus modis contractae obligationes tollantur.



§. 1. *De ſolutionibus & liberationibus.*

Eam eſſe pactorum & contractuum originem inter homines diximus, ut ſibi quiſque perfecte debitum efficeret quod imperfecte debebatur, & vitae neceſſitatibus proſpiceret in futurum vel alienae beneficentiae ope, vel per mutuas praeſtationes.

5. *Verb. ſi Vaſſallus culpam, et Tit.* 31. *ubi liberi et deſcendentes excluduntur omnino a Feudo Vaſſalli delinquentis. Apud multas tamen Gentes Naturalis Juris aequitas revocata eſt, et extincto Vaſſallo ad ſucceſſores ejus omnia intacta reſtitui decretum eſt. Vid.* Joann. Papon. *Lib.* 8. *Tit.* 3. *Arreſt.* 17. Charond. *Reſponſ. Lib.* 2. *Cap.* 16.

Quisquis igitur obligationem perfectam contraxit nullo alio pacto fidem datam solvet, nisi id adamussim praestet, ad quod praestandum se obligavit, & si mutuae sint utrimque praestationes constitutae, non prius liberabitur fides, quam uterque id quod promiserat integre perfecteque praestiterit; nisi forte contrahentes nulla etiam promissi praestatione intercedente, se a contractae obligationis vinculo liberaverint; aequum enim est ut quae consensu mutuo colligantur mutuo dissolvantur dissensu (1), & cuique integrum sit juri per contractum quaesito renunciare.

---

(1) Concord. §. 4. Inst. Tit. Quib. mod. toll. oblig. L. 35. ff. De Reg. Jur. Consensus hic loci tam expressus, quam tacitus intelligitur; qui enim in Contractibus, qui mutuas continent praestationes, quas conditionis loco haberi posse alibi diximus, conditionem non implet, alterum tacite a contracta liberat obligatione, quamvis ipsi integrum sit statuere an velit alteram partem ad implendam conditionem cogere, vel a contractu recedere. Vid. Tom. I. Cap. XI. §. 11. pag. 300.

Ceterum niſi haec renunciatio interceſſerit obligatio contracta nullo alio pacto extinguitur, niſi praeſtatione eius quod debetur, quae quidem *ſolutio* (1) dicitur, & quae liberationem parit, ſi omni ex parte perfecta ſit, & non tantum praeſtationem rei debitae contineat, ſed etiam modos debendi numeris ſuis omnibus abſolvat & expleat: *debitum* enim collectivum quid eſt, quod non tantum ſubſtantiam rei debitae, ſed etiam modos debendi complectitur, quorum aliquis ſi in ſolutione negligitur, id praeſtitum eſſe quod debebatur nullo pacto affirmari poteſt.

Itaque pars pro toto, aliud pro alio (2) invito creditori non recte ſolvitur (3), niſi res quae praeſtanda erat perierit, quo caſu neceſſitate exigente rei aeſtimatio ſolvenda (4).

---

(1) Pr. Inſt. Tit. eod.

(2) Concord. L. 41. §. 1. *ff. De Uſuris. Lex* 21. *ff. De Reb. cred. ad humanitatem potius quam ad Summum Jus refertur.*

(3) L. 16. *Cod. De ſolut. L.* 2. §. 1. *ff. De Reb. cred.*

(4) Concord. §. 4. *Inſt. De Legat. &*

In quo tamen illud diſtinguendum cenſeo an vi majore & fortuito, an vero culpa debitoris res debita deſierit eſſe in rebus humanis: primo caſu nudam ſimplicemque aeſtimationem arbitrio boni viri ſolvendam cenſeo, altero autem quanti intereſt Creditoris re ſibi debita carere, ſi enim damnum patiatur ultra nudam rei aeſtimationem, ut ab eo reficiatur, cuius culpa datum eſt, aequitas poſtulat naturalis (1).

L. 26. §. ult. L. 71. §. 3. ff. eod. l. Tot. Tit. ff. De Condict. Triticar. Authent. Hoc niſi. Cod. De Solut. Hoc principio innituntur dationes in ſolutum, *quas una licitas reddit neceſſitas; ſi enim fieri non poſſit ut debitor quod promiſit praeſtet, Creditor aliud tantundem valens accipere cogitur, quod morali aeſtimatione idem habetur; quapropter & res & jura & operae ipſae in ſolutum dantur, niſi aliud Debitori ſuperſit, operas enim rebus aequiparari, introductis dominiis, ſaepe diximus. Ceterum rebus in ſolutum a Creditore acceptis liberatur debitor, & ad primaeva jura regredi neutri facultas eſt, ipſo enim in ſolutum dationis & acceptationis facto & jura & obligationes evanuiſſe patet utroque conſentiente.*

(1) Diſcordare videtur L. 3. ff. De Condict. Tritic.

At ſi res fungibilis in genere debita ſit, & nil dictum ſit de qualitate, quaeſitum eſt quid juris, & rem mediae notae praeſtandam eſſe verior ſententia eſt ex praeſumpta contrahentium voluntate; qui enim ab altero ſtipulatur frumenti vel olei aut vini quantitatem, id quo communiter homines illius urbis utuntur intellexiſſe, nec in viliſſimam peſſimamque ultimi generis ſpeciem conſenſiſſe cenſetur (1)

---

(1) *Nec rationi nec veritati videtur conſentanea Romanorum doctrina, qui diſtinguunt inter genus debitum ex ultima voluntate, & illud, quod ex contractu debetur: primum praeſtandum cenſent ſaltem mediae bonitatis, alterum praeſtari poſſe etiam ex viliſſima ſpecie. Vid. L.* 37. *&* 110. *ff. De Legat. I. L. ult.* §. 1. *in fin. C. Commun. De Legat. L.* 52. *ff. Mandat. L.* 4. *ff. De Trit. Vin. vel oleo legat. In utroque enim caſu agendum eſt a debitore ex praeſumpta aliena voluntate. Sed fortaſſe Interpretes non bene mentem Romanorum aſſecuti ſunt, nam cum ajunt haeredi aut debitori liberum eſſe cujus velit generis oleum aut triticum Legatario vel Creditori dare, id non intellexerunt ut ex eo genere, quod ſolvere vo-*

§. 2. *De tempore solutionis.*

Item & tempus praefinitum in obligatione spectandum est, & cum dies venerit tantum sine mora, non autem ante diem solvendum (1). Si tamen dies adiectus in debitoris gratiam, solutio & ante diem legitima, quisque enim potest juri & utilitati suae renunciare (2); si autem praefinitum esse diem in creditoris gratiam constat, non prius solutio fieri potest quam dies venerit, nisi in id consenserit creditor, cum nemini invito jus positivum aut negativum auferri possit. Si tamen debitor paratus sit solvere creditori quanti interest solutionem ante diem factam esse, cum nulla tunc esse possit causa, cur solutionem recuset creditor, & cum aliquid temere & sine causa agere Lege Naturae vetitum sit, debitam praesta-

---

luit, pessimam & vilissimam eligeret speciem, sed ut tantum ex generibus vilissimum eligere posset, at ex eo mediae notae solveret speciem.

(1) *Concord.* §. 2. *Inst. De Verb. oblig. L.* 15. *ff. De Ann. Legat.*

(2) *Concord. L.* 38. §. 16. *L.* 41. *ff. De verb. obligat. L.* 70. *ff. De solut.*

tionem & ante diem accipere tenebitur.

Sed ſi pure debetur nulla temporis adiectione, & creditori quovis tempore petendi, & debitori ſolvendi debitum jus eſt; quod enim cautum ſit inter contrahentes ut creditor poſſit quandocumque placuerit debitum poſtulare non impedit quominus & debitor quocumque tempore ab obligatione liberari poſſit, altera enim conditio alteram nullo pacto excludit, nec ultra voluntatem propriam contrahentes teneri aequum eſt.

Si vero arbitrio debitoris permiſſa ſolutio, non prius a creditore exigenda praeſtatio quam poſt ipſam debitoris mortem, cum nempe nullum ipſius arbitrium, nullaque voluntas eſſe poteſt. Et obligationem igitur & ſolvendi onus debitor tranſmiſit haeredi, qui poterit ſtatim poſt mortem debitoris conveniri.

§. 3. *De loco ſolutionis.*

Quod de tempore diximus id & de loco intelligendum. Niſi ſit locus adiectus, ibi ſolutionem faciendam eſſe conſtat ubi

contracta est obligatio (1); praesumitur enim contrahentes id voluisse, quod ut plurimum inter homines fieri solet. Sed si locus adiectus, & alibi solvere velit debitor, paratusque sit creditori praestare quanti interest solutionem alibi quam condicto loco factam, iniuria reiiceretur ob eamdem quam paulo ante adduximus rationem, cum de solutione ante diem facta dicebamus.

§. 4. *Cui & a quo solvendum.*

Quia solutio est praestatio eius quod debetur, ei autem tantum debetur, cum quo obligationem contraximus, qui creditor dicitur, creditori tantum solutio facienda, vel ei cui creditor solvi jusserit, ut ecce Adiecto, Procuratori cui id sit mandatum specialiter, vel cui omnium negotiorum administratio mandata est (2), Tutori, Curatori, Cessionario, uno verbo iis omnibus, qui creditorem legitime repraesentant.

---

(1) Concord. L. 3. ff. De reb. auct. Jud. poss. L. 19. §. 2. De Jud. L. 21. ff. De obligat. & Action.

(2) Concord. L. 12. L. 34. §. 3. & 4. L. 86. ff. De solut.

Quamvis autem regulariter is ſolvat qui debet, nec alio pacto quam ſolvendo a contracta ſe liberet obligatione, attamen cum Creditori nullum aliud jus ſit quam creditum exigendi, quiſquis vel ſponte vel a debitore juſſus ſolvit, aeque liberat debitorem (1).

Dubitari tamen poſſet an qui ſine mandato alieno debitum ſolvit jus acquirat perfectum contra debitorem, ut quod pro eo ſolutum eſt reſtituat: nobis viſum eſt illud jus ſaltem externe ab ipſo ſolutionis facto non derivare; nam cum jura omnia hypothetica ab obligatione contracta originem ducant, nec obligatio contrahatur niſi expreſſe vel tacite promittendo, nullum jus ſolventi eſſe poteſt contra debitorem, qui nihil promiſiſſe ei conſtat (2).

At ſi manifeſte appareat illud fuiſſe ſolventis conſilium non ut donaret, ſed ut amici famae vel utilitati conſuleret, credi-

---

(1) Concord. L. 23. 40. 53. ff. eod. Pr. Inſtit. quib. mod. toll. oblig.
(2) Vid. L. 5. Cod. De Solut.

totemque dimiserit, qui nulla poterat exceptione submoveri (1), ut quod impensum est restituatur aequitas postulat naturalis, ut supra & de expromissore, & de eo qui cambialem litteram *ad honorem acceptat monuimus (2).*

§. 5. *De mora & morae purgatione.*

Si quis cum dies solutionis venerit id minime praestet ad quod praestandum se obligaverat per vim etiam ad solutionem jure cogitur: non prius tamen vis inferenda quam debitor interpellatus dolo vel culpa sua recusaverit aut detrectaverit solutionem, a die enim interpellationis creditor manifeste declarat re sibi debita egere, damnumque sibi illatum iri ex dilata solutione (3). Exinde *mora* contracta dicitur, atque adeo obligatio oritur indemnem creditorem praestandi. Damni aestimatio in statu naturali

---

(1) Vid. L. 22. & 23. Cod. Mandat. quibus repressa est litium redemptorum avaritia, qui litigiosa debita in se transferri curant.

(2) Tom. 1. Cap. XI. p. 338. & 376. n. 2.

(3) Concord. L. 105. ff. De Solut.

apud Creditorem eſt, in civili aut uſurae legitimae debentur ob moram, aut id quod intereſt arbitrio boni viri aeſtimatur.

Mora autem purgatur, & uſurae ceſſant ſimulac ſolutionem reipſa offert debitor, reipſa inquam, nam ſi res mobilis ſolvenda, praeſto ſit oportet, & coram creditore poſita, ſi immobilis, oblatio verbalis vim ſolutionis habet, ſiquidem res in eo ſtatu poſita ſit a debitore, ut nullo obſtaculo intercedente poſſit creditor & poſſeſſionem nanciſci, & dominium acquirere.

Oblatione reali interpoſita ſolutio facta dicitur, & ab obligatione contracta debitor liberatur, licet rem oblatam acceptare recuſet creditor, ipſi enim imputandum quod uſu rei ſuae diutius carere velit. Quapropter debitor rem oblatam in medio etiam relinquit creditoris periculo, dummodo expleverit omni ex parte quod in vim contractae obligationis praeſtare debuerat.

Hinc in Civitate ad lites praecavendas fere ubique invaluere Leges Romanae, quibus jubentur debitores, creditore non acceptante ſolutionem, ut pecuniam debitam oblatam, numeratam & obſignatam in publico

publico solemniter deponant creditoris periculo (1) facta ipsi facultate eam sibi acquirendi.

Exinde etiam intelligitur cur Depositum, ut plenissimum solutionis effectum habeat, integrum, liberum, & expeditum esse debeat, nullaque extrinseca conditione implicatum (2); nam cum solutio reipsa facta intelligatur cum res praestanda vel in dominium creditoris transierit, vel in eo sit statu, ut creditor possit jura omnia dominii super ea exercere, si Depositum extrinseca aliqua conditione implicetur iniuria impeditur dominus, quominus re sua uti & abuti nullo obstaculo intercedente possit, atque adeo solutio facta non intelligitur, & mora purgata. Conditio autem extrin-

---

(1) *L.* 18. *ff. De Constit. pecun. L.* 2. *L.* 6. *L.* 19. *Cod. De Usuris.*

(2) *L.* 6. *Cod. De Distract. pign. L.* 41. §. 1. *ff. De Usuris. L.* 122. *ff. De Verb. obligat. L.* 2. *Cod. Debit. Vendit pign. L.* 2. *Cod. De Fidejussor. L.* 12. *Cod. De Compensat. L.* 25. §. 14. *ff. Fam. ercisc.*

feca dicitur quam nec Lege jubente, nec propria aut tacita aut expreffa promiffione implere tenetur creditor priufquam folutionem recipiat.

Ceterum cum folutio non fit folutio nifi & alienatio fit (1), Depofiti dominium eft apud creditorem, atque adeo eidem corrumpitur, perit, fructificat. Nec obftat voluntatem neceffariam effe ad acquirendum dominium, & jura in invitum transferri non poffe; qui enim diem folutioni in contractu dixit voluntatem eodem tempore declaraffe intelligitur, veniente die, rei folvendae vel praeftandae acquirendi dominium, quam voluntatem immutare non poteft cum alterius jactura, nam qui cum altero pepigit fe certo die a contracta obligatione liberaturum, altero expreffe vel tacite confentiente jus acquifivit fe reipfa liberandi, quod jus a creditore eripi fine iniuria nequit.

---

(1) Vid. Cujacium *in Lib. X. ff. Salv. Julian. ad. L.* 19. *ff. De Reb. cred. §. Si Pupillus. Opp. Tom.* 6. *pag.* 51.

Solutione facta extinguitur obligatio principalis, atque adeo accessoriae omnes, ut ecce fidejussiones, pignora, expromissiones liberantur omnino (1).

§. 6. *De Acceptilatione & Pacto liberatorio.*

Hactenus de naturali praestatione eius quod debetur diximus. Liberatur tamen debitor si is cui debet vel juri suo renunciet omnino, vel quocumque pacto debitorem a contracta liberet obligatione.

Frequentioribus liberandi debitorem modis sine naturali eius quod debetur praestatione sua Jurisconsulti nomina propria affinxerunt, certasque praescripserunt Juris regulas. Nobis ea indicasse & definivisse sufficiet, quandoquidem & obligationes & jura contrahentium & ab eorum voluntate pendent, & traditis jam regulis facile ponderantur.

Itaque liberatur creditor etiam accepti-

D 2

(1) *Concord. Pr. Inst. Quib. mod. toll oblig. L. 41. ff. De Solut.*

latione, pacto liberatorio, confuſione, compenſatione, novatione, delegatione.

Acceptilatio eſt declaratio creditoris, qua ſignificat ſe pro accepto tuliſſe quod alter ſolvere debebat, *Pactum liberatorium* autem eſt itidem declaratio, qua Creditor ſignificat ſe nunquam in poſterum petiturum eſſe quod alter debet. Vix altera ab altero naturaliter & quod ad ſubſtantiam differt; in utriſque enim remittit creditor jus ſuum, ſpondetque ſe nolle ut debitor praeſtet id ad quod praeſtandum obligabatur. (1)

(1) *Apud Romanos tamen, qui multoties nuda verba potius, quam rerum naturam meditantur, maxima erat inter acceptilationem, & pactum liberatorium differentia, nam acceptum ferre nemo poterat niſi per ſolemnem ſtipulationem; quapropter ſi verbalis non eſſet obligatio, ſed ex alia cauſa contracta per acceptilationem extingui non poterat, niſi prius in ſtipulationem deduceretur per novationem, quem in finem prodita fuit ſtipulatio Aquiliana L. 8. §. 3. L. 18. §. 1. ff. De Acceptilat. L. ult. Cod. eod. §. 1. & 2. Inſt. Quib. mod. toll. oblig. Quae tamen omnes Juris ſubtilitates ſublatae ſunt poſtquam & nudis pactis vis obligandi conceſſa eſt.*

Si debitor acceptet jam actus expletus & liberatio perfecta vel in totum vel pro parte prout creditori placuerit, qui conditionem offert, eodemque tempore obligationes accessoriae omnes vel in totum vel pro parte tolluntur aeque ac in solutione diximus (1).

§. 7. *De Confusione & Compensatione.*

Est etiam quaedam imaginaria solutio (2) quam Jurisconsulti *Confusionem* dicunt, cum nempe in eamdem personam jus stipulantis promittentisque devenit, ut ecce si creditor debitoris, aut debitor creditoris adierit haereditatem, cum enim nemo apud eumdem pro eodem obligatus manere possit, praecedens obligatio extinguitur saltem pro parte qua succeditur pro qua & obligationes accessoriae, veluti fidejussiones & pignora liberantur (3), cum nemo esse possit

(1) *Concord.* L. 9. 13. 17. *ff. De Acceptilat.*

(2) *Vid. L. penult. in fin. & L.* 95. §. 2. *ff. eod.*

(3) *L.* 5. *&* 6. *Cod. De Haeredit. Action.*

fui ipfius & debitor & creditor eodem tempore; haeres enim teftatorem repraefentat, & Perfona moralis fit quafi fubiectum jurium & obligationum, quae ad Teftatorem pertinebant. Si igitur apud Teftatorem erat obligatio aliqua erga haeredem vel creditum, cum haeres idem fit cum perfona Teftatoris, & obligatio & creditum evanefcit, cum haeres fibi ipfi debere non poffit. Confunditur igitur obligatio fi creditor adeat haereditatem debitoris, & viceverfa, vel potius obligatio tollitur folutionis poteftate (1), quia ipfe fibi creditor adeundo haereditatem debitoris pecuniam folvere praefumitur: quod quidem clarius apparebit cum infra de haerede dicemus.

Eodem pacto obligatio fuapte natura extinguitur, fi is cui aliquid in fpecie debe-

---

L. 7. *Cod. De Pactis*. *L.* 21. §. 3. *L.* 38. §. 1. *ff. De Fidejuffor.* *L.* 75. & 95. §. 2. *ff. De Solut.*

(1) Vid. *L.* 50. *ff De Fidejuff.* *L.* 71. *eod.* *L.* 12. §. 1. *in fin. ff. De Liberat. legat. Vid.* Cujacium *in Lib.* 37. *Quaeft.* Papin. *ad cit.* *L.* 50.

tur a me praestandum, idem in specie mihi debere incipiat; ex quo enim coepit utrimque deberi, mutuae obligationes ipso jure perimuntur, & *compensantur*, atque adeo fidejussores liberantur & pignora (1), & cursus usurarum cessat, licet debitum principale usurarium, alterum non item fuerit (2). Qui enim idem debere incipit nec solvit, ipse quod debet in solutum accepisse recte praesumitur (3); atque adeo compensatio solutionis vicem obtinet (4). Ita-

---

(1) Concord. L. 4. ff. De Compensat. L. 12. Cod. eod.

(2) Concord. L. 11. & 12. ff. eod. L. 4. & 5. Cod. eod. L. 7. Cod. De Solution. Apud Romanos tamen in negotiis tantum bonae fidei quis tutus erat, in negotiis autem stricti juris juvabatur tantum opposita doli mali exceptione.

(3) Quapropter potest creditor renunciare compensationi & solvere vel requisitus, vel sponte, ut integrum servet jus crediti. L. 1. §. 4. ff. De Contr. Tut. & util. action.

(4) Concord. L. 4. Cod. De Compensat. L. 4. ff. Qui pot. in pign. L. 19. ff. De Liberal. caus.

que ſi debitum non idem ſit quod ad omnes modos nullo pacto compenſari poteſt. Genus igitur cum ſpecie (1), quod ſtatim debetur cum eo quod in diem praeſtandum, debitum liquidum cum illiquido compenſari nequit; liquidum autem dicitur quod jure aperto nititur, & certum ac indubitatum eſt (2). Quapropter ſi liquido non conſtat an creditor tibi quid debeat, vel non apparet quantum debeat, & dies ſolutionis venerit, iniuſte incertum futurumque debitum cum praeſenti & certo compenſare poſtulas, cum enim compenſatio quaſi ſolutio ſit, abſurdum eſt te ſolviſſe id de cuius exiſtentia adhuc ambigitur.

Eodem argumento oſtenditur compenſationem, ſeu imaginariam hanc ſolutionem fieri non poſſe niſi inter debitorem & cre-

---

(1) *L.* 10. §. 2. *L.* 11. *&* 12. *ff. De Compenſ. L.* 4. *&* 8. *Cod. eod. nam aliud pro alio uti animadvertimus ſolvi nequit L.* 51. *ff. De Legat. I. L. ult.* §. 1. *in fin. Cod. De Compenſ. L. penult. Cod. Depoſiti.*

(2) §. 30. *Inſt. De Act. L. ult.* §. 1. *Cod. De Compenſ.*

ditorem: quod igitur mihi veluti singulari homini debes cum eo quod a me tibi debetur tamquam Persona morali compensari nequit me invito; actualis enim praestatio debita non solvitur eo pacto sed permutatur potius cum jure exigendi tantundem a debitore creditoris, quod quidem dissentiente creditore fieri non posse patet. Itaque si tecum agat nomine proprio Tutor, Procurator, Institor, Socius &c. compensationem minime pati tenetur cum eo quod pupillus, mandans, praeponens, societas (1) tibi fortasse debet.

§. 8. *De Novatione*.

Novatione etiam quis se a contracta obligatione liberat: est autem novatio obligationis contractae in alterius generis vel

---

(1) *Nisi tamen societas universalis esset bonorum omnium, quo casu & jura & obligationes societatis sociorumque illico communicantur. Vid. Tom. I. Cap. XI. §. 17. Hac restrictione intelligendam censeo* Papiniani *sententiam in L. 10. ff. de duob. reis constituend.*

modi obligationem (1), creditoris & debitoris intercedente conſenſu, facta permutatio. Si igitur cum debitore convenias ut quod tibi debebat ex empto debeat ex mutuo, ut pro centum aureis debitis, gregis ſui potius partem certam praeſtet, vel millies diurnam operam, novaſſe diceris; quippe debitor obligationem praecedentem, cum altera quam ſibi imponit permutavit, tu vero item jus exigendi centum cum jure exigendi aut partem gregis, aut operas debitoris permutaſti.

§. 9. *Ex natura Novationis conſectaria.*

I. Creditoris & debitoris conſenſu no-

(1) *Ut ecce: ſi pura obligatio in conditionatam, ſimplex in alternativam transfunditur, nam licet ſtipulatori permiſſum ſit ex praecedenti obligatione agere, attamen cum promiſſori integrum ſit alterum pro altero ſolvere, quaſi novatum eſſe dicendum eſt, quod quidem innuere videtur Lex* 44. §. *ult. ff. De Obligat. & Action. quamvis nonnullorum ſententia fuerit poenae ſtipulatione priori obligationi appoſita Novationem non committi; de qua re inutilis eſt diſceptatio, dummodo de contrahentium voluntate liquido conſtet.*

vatio perficitur, & conditione oblata, factaque acceptatione antecedens obligatio extinguitur, novaque emergit contrahentium consensu.

II. Quia consensus creditoris ad novationem necessarius, is tantum vel qui eum legitime in bonis administrandis repraesentat, habeturqne loco domini valide novationem contrahit (1).

III. Et cum novatio praecedentem extinguat obligationem principalem, etiam accessoriae omnes perimuntur (2), quae ita principali adhaerent, ut ea soluta & ipsae solutae intelligantur & evanescant, nisi aliter convenerit inter contrahentes; fieri enim potest ut altera obligatio in alteram immutetur consensu partium, quae tamen paciscantur id actum utrimque esse fine animo

---

(1) *Non igitur adiectus ad solutionem, non Procurator, nisi speciale mandatum habeat, aut constitutus sit* cum libera, *eique universorum bonorum administratio commissa sit. Vid. L.* 10. *ff. De solut. L.* 10. *L.* 20. §. 1. *& L. ult.* §. 1. *ff. De Novation.*

(2) *Concord. L.* 15. *&* 18. *ff. eod.*

novandi ita ut accefforiae obligationes omnes & privilegia fi qua fint legibus priori credito conceffa fuperfint, & ut pepigerint contrahentes inter fe ita jus erit.

IV. Itaque fi aliquid mutuo debitoris & creditoris confenfu additur priori obligationi fine obligationis eiufdem peremptione, novatum effe non intelligitur, ut ecce fi folutionis tempus prorogetur, fi fidejuffiones, aut pignora, aut ufurae accedant (1), fi conftitutum &c. fubfiftit praecedens obligatio.

V. Ex contraria ratione cum voluntas contrahentium contractibus legem dicat neceffe non eft ut novatio exprimatur, dummodo ex iis quae acta inter contrahentes funt animus & voluntas novandi perfecte innotefcat (2).

---

(1) *Caufa tamen debendi non immutata. Vid. L. 44. §. 1. ff. De Adminiftr. & peric. Tutor.*

(2) *Difcord. L. ult. Cod. De Novat. §. penult. in fine Inftitut. Quib. mod. toll. obblig. ubi novatio eft exprimenda; licet in foro multorum opinio invaluerit etiam ex*

VI. Perfecta novatione quia promissa servanda nec debitori primam rem debitam pro altera praestandi, nec creditori eam exigendi jus est.

§. 10. *De Delegatione.*

Itidem imaginaria solutio est *delegatio*, cum nempe creditor pro praestatione sibi debita jus eam exigendi ab alio in solutum accipit, atque adeo primum liberat debitorem; permutat scilicet jus exigendi id quod sibi debetur ab uno cum jure idem exigendi ab alio, qui ab expromissore vix differt, & *debitor delegatus* dicitur *(1)*.

§. 11. *Ex natura Delegationis consectaria.*

I. Ad delegationem perficiendam trium personarum consensus accedat oportet, creditoris, qui spondet se vice praestationis debitae jus & actionem eam a delegato exigendi in solutum accepturum, delegati qui promittat se delegantis debitum soluturum,

---

coniecturis & praesumptionibus novationem colligi posse, atque adeo Caesaris legem aequitate naturali temperandam.

(1) *Vid.* L. 11. *ff. De Novat.*

debitoris tandem, qui eo pacto potius quam actuali rei debitae praeftatione fe a contracta obligatione liberari confentiat (1).

II. Solviffe igitur cenfetur debitor (2) quandoquidem fi non quod debuit, faltem quod creditoris aeftimatione idem habetur folvit, & loco actualis praeftationis eo confentiente accipitur; atque adeo prior obligatio foluta omnino penitus evanefcit, etiamfi debitor delegatus folvendo non fit; non deleganti enim, fed creditori imputandum quod in eam permutationem confenferit, ex qua damnum patitur, dummodo fraus, dolus & calliditas omnis a delegante abfuerit, nam fi dolo malo delegans deceperit creditorem fuum, & decoctorem delegaverit idoneum afferens, jure interno & externo creditori fatisfaciat oportet, damnum

---

(1) Vid. L. 1. *& 6. Cod De Novation. L.* 45. §. *penult. ff. Mandati.*

(2) *Concord. cit. L.* 11. *ff. De Novat. L.* 3. *ff. Ad Senatusconfult.* Vellejan. *Itaque ut in Novatione diximus obligationes accefforiae perimuntur, nifi aliter in delegatione fit cautum.*

enim non creditoris negligentiae, sed eius dolo tribuendum patet, cui obligatio perfecta imposita erat ut verum eloqueretur (1).

III. Cum per se delegatus vix ab expromissore differat, nil refert an debitor sit delegantis, sibi enim cuique ex sententia novam imponendi obligationem jure Naturae facultas est. At si quis alienum debitum soluturum creditori promiserit putans tantundem a se debitum deleganti, si postea errasse, nihilque deleganti se debere compererit, poterit ne a promisso recedere, vel

---

(1) Cum scires, *inquit* Gajus *Jurisconsultus in L. 8. ff. De dol. mal.* eum facultatibus labi, tui lucri gratia adfirmasti mihi idoneum esse: merito adversus te cum mei decipiendi gratia alium falso laudasti, de dolo judicium dandum est. *Vid. L.* 29. *&* 38. *ff. eod. Exinde fit in praxi ut in delegatione creditor paciscatur ut plurimum cum delegante, ut is solvat quod a delegato salvum habere non potuit: quo casu delegatio vix committitur, & quod inter creditorem & debitorem gestum est potius ad* assignationem *accedit, vel solvendi mandatum, quo prior debitor non liberatur nisi solutione facta.*

quod jam ſolvit condicere? Non poſſe verior ſententia eſt; nam quamvis errantis promiſſio invalida ſit cum error cauſam promiſſioni dederit, attamen alibi diximus damnum alteri errore meo vincibili illatum a me reſarciendum (1). Cum igitur qui opinione debiti ſui delegari paſſus eſt ni promiſſum ſervet damnum irreparabile creditori inferat, qui nec regredi ad primum reum, nec a delegato ſuum recipere poſſet, in colliſione aequum eſt ut potius damnum patiatur is qui colliſioni locum dedit, & qui poterat debebatque rationes ſuas diligentius ſupputare, quam qui fidem delegati ſequutus nec noviſſe poterat nec debebat an error promiſſioni cauſam dederit (2). Poterit tamen delegatus a delegante indebite ſolutum repetere.

CAPUT

---

(1) *Vid. Tom.* 1. *Cap. X.* §. 5. *pag.* 288.

(2) *Concord. L.* 44. *ff. De Condict. indeb. L.* 12. & 13. *ff. De Novat. L.* 5. §. 5. *ff. De dol mal. & metus except.*

CAPUT XIV.

De Interpretatione.



FIdem in Contractibus, de quibus hactenus verba fecimus, sancte servandam multoties diximus: at quoniam verbis potissimum mentem suam contrahentes explicant, nec ea quid firmum & immobile tum ob utentium defectum, tum ob sermonis egestatem significant, saepissime accidit ut controversia de promissionis quantitate & duratione suboriatur, cuius aliquando difficillima dijudicatio est.

Itaque cum nec promissori, nec promissario jus sit verborum sensum interpretari, alter enim affingendo sensum quem vellet se ab obligatione liberare, alter vero obligationem ultra promissoris voluntatem extendere posset, ne nulla obligatio sit, & res exitum habeat, in id consensisse contrahentes praesumuntur, ut exorta controversia dijudicetur juxta eas interpretationis

regulas, quas quiſque admittere neceſſario debet, quae ſcilicet rectae rationi conſentaneae ſunt, atque adeo demonſtrari poſſunt: demonſtrandae igitur apud nos interpretationis regulae.

Regula I.

Verba intelligenda ſunt ex communi & vulgari ſignificatione, a qua non recedendum, niſi validiſſima rationum momenta ſuadeant contrahentes a communi verborum uſu & ſignificatione recedere voluiſſe (1).

Nam cum uterque contrahens & verum eloqui, & mentem ſuam clare expromere teneatur, idque fieri nequeat niſi per verba, quae communiter intelliguntur ex vulgari ſignificatione, ſequitur utrumque eo pacto verbis uti debuiſſe, atque adeo aequum eſt ut verbis iis affingatur ſenſus, in quo ex communi vulgarique ſignificatione intelli-

---

(1) *Vid.* Grotium. *Lib.* 2. *Cap.* 16.

guntur, quandoquidem in eo ſenſu verbis uti contrahentes tenebantur (1).

Corollaria.

I. Si procedente tempore verborum ſignificatio eſt immutata, quis eſſet eorum communis ſenſus tempore contractus eſt inquirendum.

II. Mentales igitur reſtrictiones in contractibus illicitae, nulloque pacto admittendae, quippe quae adverſantur veracitati & obligationi ſe clare & perſpicue exprimendi, quae duo praecipua eſſe promittentium officia alibi diximus (2).

III. Cum omnium Artium fere commune ſit, ut ſuis utantur verbis, quae publica & vulgaria dici nequeunt, Technica

(1) *Vid.* Juſt. Henning. Boehmerum. *De Interpretatione contra eum facienda, qui clarius loqui debuiſſet.*

(2) *Vide ejuſmodi probroſae calliditatis exempla apud* Grotium *l. c. & apud* Pufendorf. *De J. N. & G. Lib.* 5. *Cap.* 12.

verba ab artis illius peritis explicanda.

IV. Si manifeſtae ſint coniecturae contrahentes a vulgata verborum ſignificatione recedere voluiſſe, ad eorum voluntatis normam interpretatio eſt componenda.

Regula II.

Si quando accidat ut in contractu vel Lege homonymia, vel amphibolia ſit, nempe ut unius verbi, vel verborum complexionis plures eſſe ſignificationes poſſint, ea ſeligenda eſt, quae materiae, de qua agitur, aptior videtur & accommodatior.

In fide quid ſenſeris non quid dixeris eſt cogitandum, atque adeo mens contrahentium quaerenda. Cum igitur quiſque antequam externa ſigna eligat ideas in mente habuiſſe praeſumatur, quibus externa ſigna reſpondeant, in verborum electione praeſumitur ea ſelegiſſe, quae ideas materiae de qua agitur magis accommodatas repraeſentent; ergo ſi plures ſint unius verbi, aut verborum complexionis ſenſus, is eligendus, qui ſubiectae materiae aptior videtur.

Corollaria.

I. Cavillationes igitur, dicti nempe aut facti interpretationes, quae nullam subiectae materiae rationem habent, & interpretis malam fidem arguunt, & penitus reiiciendae.

Regula III.

Interpretatio, quae aut manifestum absurdum (1) aut nullitatem actus induceret, non admittenda.

Cum illud omnium hominum officium sit, ut perfectam quoad fieri possit actionum rectitudinem quaerant, & ut nil temere agant, praesumendum nullo pacto est contrahentes aut quod absurdum est, nempe quod effectum a ratione alienum post se traheret (2), voluisse, aut in id consensisse, quod nullo pacto exitum habere potest.

---

(1) *Vid. L.* 19. *ff. De Legib. L.* 3. *ff. De Reb. dub.*

(2) *Vid. L.* 13. §. 2. *ff. De Excusat.*

R E G U L A IV.

Si verba prius adhibita ſubobſcura, poſterius de eadem re clara & manifeſta fuerint, ita interpretatio inſtituenda, ut obſcura per manifeſta explicentur.

Cum dilucide patet quid voluerint contrahentes non praeſumuntur voluntatem immutaſſe, niſi id manifeſte indicent: at in hypotheſi alicubi de contrahentium mente perſpicue conſtat, ergo & idem voluiſſe cum obſcure locuti ſunt praeſumuntur.

Corollarium.

Exinde ſequitur abſurdum omnino eſſe ex una aliqua particula non ex toto verborum contextu contrahentium aut Legum propoſitum eſſe judicandum (1).

R E G U L A V.

Si ratio patet, quae contrahentis, aut legem ferentis voluntatem movit, omnia ita interpretanda ſunt, ut cum ratione illa conveniant (2).

---

(1) *Concord. L.* 24. *ff. De Legib.*
(2) *Concord. L.* 18. *ff. eod.*

Id tamquam axioma assumi potest, nam aliquem voluisse ea quae cum ratione voluntatis pugnant absurdum omnino est.

Corollaria.

I. Si plures sint rationes voluntatem moventes, animadvertendum an omnes simul sumptae, an singulae per se voluntatem inflexerint, & interpretatio eo pacto concinnanda.

II. Si verba laxiorem aut strictiorem significationem habeant, ea seligenda, quae rationi voluntatis magis accommodata videtur.

III. Atque adeo si de mente & consilio aut imperantis, aut contrahentis liquido constat, verborum sensus interpretandi eo pacto, quo uterque eos interpretaretur si ad emergentes circumstantias animum advertisset (1). Nam nemo potest omnes res per scripturam amplecti, & commodissime scribit qui curat ut quaedam ex quibusdam

(1) *Vid. L. 10. ff. De Confirmat. Tutor.*

intelligantur. Quapropter in fraudem Legis aut contractus facit qui ſalvis verbis aut contractus, aut Legis ſententiam eius circumvenit (1).

IV. Quamvis tamen interpretatio menti & conſilio contrahentium reſpondeat oportet, attamen ſi quid exinde emergat, quod naturali Legi contrarium ſit, id excipiendum omnino, nemo enim praeſumitur ea quae naturali aequitati adverſantur voluiſſe.

V. Si igitur Pactum aut Lex cum naturali Lege collidatur, Lex naturalis etiam contra manifeſtam verborum ſignificationem ſervanda eſt, eam enim fuiſſe vel jubentis vel promittentis mentem, ſi de ea re cogitaſſet, recte praeſumitur (2).

---

(1) Vid. L. 29. & 30. ff. De Legib.

(2) *Itaque qui promiſit rem depoſitam reddere, non reddet ſi ſciat alienam, & dominus eam repetat, non reddet domino furenti ſi ex Depoſiti reſtitutione vel ei vel aliis damnum aut periculum immineat; hunc enim caſum excepiſſe Depositarius praeſumitur, cum ad reſtitutionem ſe obligavit. Vid. L. 31. ff. Depoſiti.* Grotium *l. c.* §. 27.

REGULA VI.

Celebris Regula, quae jubet ut in odiosis strictius, in favorabilibus laxius verba sumantur, nec satis valido innititur fundamento, nec utilis est.

Fides in contractibus obligata stricte sancteque servanda, & illud est Interpretis officium ut mentem & consilium contrahentium exquirat ex toto scripti contextu, ex materia, ex coniunctis, non ex extrinseca Regula, cuius forte promissor fidem obligans nullam rationem habuit. Statim ac contrahentes in idem placitum consensere omnia aequalia inter eos dicenda sunt, nec alicui grave putandum id quod sponte promisit. In contractibus igitur nihil est per se nec odiosum, nec favorabile. Idem de Legibus intelligendum, quarum obiectum cum sit publica salus & communis felicitas favorabiles omnes dici & esse debent; & cum poenalium Legum idem consilium sit non video cur odiosae dicendae sint. Si qua igitur Lex odiosa revera sit, nempe cum utilitate publica pugnet, vel temperanda vel abroganda potius quam strictius interpretanda.

Itaque cum neque in Contractibus, neque in Legibus vulgata illa favorabilium & odioſarum rerum diſtinctio valeat, corruit etiam recepta ſententia de qua agimus, & quam poſt Romani Juris Interpretes ſecuti ſunt *Grotius*, ceterique fere omnes Juris noſtri conſulti. Nec enim quae favorabilia & odioſa ſunt eos probe definiſſe patet, nec animadvertiſſe ſtrictiorem aut laxiorem interpretationem in nonnullis tum Contractibus tum Legibus ex loquentis potius manifeſto conſilio, aut ex recepta conſuetudine certum ſenſum alicui verbo affingendi, quam ex Regula illa originem ducere.

Cum igitur nil ſit per ſe & abſtracte aut favorabile aut odioſum ita ut perſaepe quod uni utilitatem alteri incommodum afferre poſſit, illud etiam ab ea Regula ſequeretur, quod idem Contractus, eadem Lex & favorabilis & odioſa uno eodemque tempore dicenda eſſet, & habita diverſarum perſonarum ratione & ſtrictius & laxius interpretanda, quod quidem omnino abſurdum. Quapropter mens aut contrahentium aut imperantium ſedulo inquirenda eſt, omniaque ad eius normam interpretanda,

aut odiosa aut favorabilis, ut ajunt, res sit de qua agitur (1)

REGULA VII.

In collisione Pactorum, quae quis de eadem re cum diversis iniit, priora in tempore posterioribus anteponuntur (2).

Cum nemo obligari possit ultra moralem facultatem, fieri nequit ut qui aliquid praestare tenetur alicui certo tempore, id eodem tempore praestet alteri, ergo cum altero de eadem re contrahens exceperit oportet collisionis casum. Primo autem non alteri praestare quod promisit tenetur, quia obligatio cum primo absoluta, cum altero nonnisi conditionata esse poterat.

---

(1) *Vid.* Christian. Thomas. *Appendic. ad Lib.* 2. *Instit. Jurispr. divin. ubi quaestio proponitur de Definitione favorabilium*, & *odiosorum*. Barbeyrac. *ad* Pufend. *Lib.* 5. *Cap.* 12. §. 12.

(2) *Idem de* Legibus *intelligendum L.* 4. *ff. De Constitution. Princip. L.* 26. *ff. De Legib.*

REGULA VIII.

Si praeſtationes duarum rerum, quas quis eidem promiſit collidantur, ea praeſtanda, quae utilior promiſſario videtur.

Qui ſibi alterum obligat utilitatis ſuae rationem habet; praeſumitur igitur ut promiſſarius in colliſione id quod melius utiliuſque ſibi eſt praeſtari voluerit.

REGULA IX.

In Contractibus interpretandis attendenda ſunt potius verba conditionem accipientis quam offerentis.

Cum enim nemo ultra voluntatem ſuam obligetur, promiſſoris verba obligationis quantitatem definiunt non eius qui conditionem obtulit.

CAPUT XV.

De Societate in genere & Imperio privato.



§. 1. *De Societatis in genere origine, natura, & Legibus.*

I. Hactenus homines quatenus eadem natura, atque adeo iisdem obligationibus & juribus praediti sunt, consideravimus, primamque & universam generi humano a Natura ipsa latam legem docuimus, ut quisque sibi felicitatem propriam comparet, & alienam pro viribus promoveat.

II. Interea ut verum assumimus, quod & supra multoties monuimus, & infra identidem demonstrabimus, homines singulatim sumptos propriis tantum viribus non posse sibi perfectam felicitatem comparare, atque adeo naturalibus obtemperare Legibus nisi sociam invicem operam communicent. De-

dit enim Natura hominibus ingenium, intelligentiam, providentiam, induſtriam, dedit Terrae quam incolunt foecunditatem, cuius ope & neceſſitati & jucunditati vitae conſulere poſſint, attamen nec homines progredi ultra brutorum animalium naturam, nec Terra rudem ſuam illam, indigeſtam, horridamque formam exuere, nimis luxuriantem ubertatem compeſcere & temperare, & ridentem hanc, qua niteſcit, & aſpectabilem formam induere potuiſſet, niſi homines ipſi mutuis officiis abſcondita quodammodo rationis & perfectibilitatis ſemina invicem foviſſent & excitaſſent, & Terrae laſcivienti foecunditati, ceteriſque elementis leges quodammodo collatis viribus praeſcripſiſſent. Et inanima enim & animata omnia, quae ad vitam hominum tuendam, expoliendam, ornandam, conſervandam pertinent pleraque ſunt hominum operis effecta, quae nec haberemus niſi manus & artes multorum hominum, quos ſociale foedus coniunxerit, acceſſiſſent. Omnia aſpera, horrida, inculta ſine hominum condicto labore & manu; noſtra ſunt enim veſtimenta, & te-

cta, & urbes, & animantia domita, & jugo suppofita, noftra frugum, fructuumque suavium perceptio & confervatio, noftri ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes, moles appofitae fluctibus, metallorum effoffiones & artificia, portus manu facti, mercium exportatio & invectio, uno verbo multitudo artium omnium, fine quibus non dicam expolire & perficere, fed ne fervare quidem vitam homines poffent, & quas exercere nefas nifi focietatibus & coetibus inftitutis multi in commune & operas & vires conferant, certafque mutuo confenfu dicant & operarum adminiftrationi, & labori perferendo, & percipiendis exinde fructibus leges.

III. Inde exortae focietates tum privatae tum publicae: inde exui naturalis aequalitas inter homines cepit: quod tamen fieri non potuit nifi pacto vel quafi pacto intercedente; quis enim in alterum nolentem & recufantem jus fingulare acquirat?

IV. Ubi inaequalitas igitur ibi pactum, aut quafi pactum intercefferit oportet: quin *ipfa focietas* quaecumque pactum eft, quo

plures conveniunt ſe collaturos vires ut finem aliquem aſſequantur.

V. Itaque uti convenerit inter ſocios ita jus ſit oportet. Pacto ſociali inito mutua ſociorum obligatio perfecta: quantitas obligationis ex ſociorum paciſcentium voluntate, & ex fine ſocietatis ponderanda.

§. 2. *De neceſſitate Legum in Societate.*

I. Si quantitas obligationis ex voluntate paciſcentium & ex fine ſocietatis ponderanda, ſequitur & eam manifeſte declarandam eſſe, & media que ad finem aſſequendum accommodatiora videntur decernenda. Cum enim pactum generale de viribus conferendis indeterminatum ſit, nec plane ſingulorum ſociorum obligationes ſignificet, & plura eſſe poſſint media, quae juxta loci & temporis conditiones propoſitum ſocietatis bonum parere poſſint, manifeſte patet obligationes ſingulorum eſſe definiendas: quod quidem nonniſi unanimi conſenſu fieri poſſe ex naturali aequitate deducitur.

II. Si obligationes & jura ſociorum omnium aequalia fuerint, ſocietas aequalis erit, ſi ſecus inaequalis.

III.

III. Quod unanimi consensu sociorum statutum est id Lex societatis dicitur, quae & optima & sapientissima merito nuncupabitur si commune societatis bonum promoveat, bonum autem societatis in eo praecipue versatur ut perpetuo ad finem perfecte assequendum progrediatur, ob quem inita fuit.

IV. Consensus sociorum Leges constituit, idemque eas abrogat vel moderatur, quisque enim voluntatem immutare, ni alterum laedat, potest.

V. Leges igitur veluti sponsiones mutuae singulorum erga omnes haberi possunt, atque adeo nisi revocentur perfecte obligant, spopondit enim quisque se collaturum vires, & adhibiturum media, quae ad finem societatis assequendum ducunt, media autem sunt Leges.

VI. Quamvis obligatio servandarum legum cuique imposita perfecta sit, attamen cum naturalis & interna obligatio aliquando non satis valida sit ut ad agendum vel non agendum impellat (1), societati jus erit ad

(1) *Vid. Tom. I. Cap. V.* §. 3.

committendas vel omittendas actiones legibus praefinitas & poena & praemio ſocios aut impellere aut excitare. Qui ſe legem ſervaturum promiſit, idem poenam ſubiturum, ſi legem violet, ſpopondit. Inde ſocietatis univerſae jus puniendi legum violatores, & obligatio promiſſa praemia praebendi. Quiſquis recte perpenderit quid ſibi velit ſponſio ſingulorum erga omnes, is jus puniendi ex pacto derivare facile intelliget, quemadmodum ex pacto jura omnia ſingularia derivantur.

VII. Cum Leges ſint media finis quem ſibi ſocietas propoſuit conſequendi, & abſurdum ſit, & contra ſocietatis indolem & naturam, ut aliquis ſit ſocius qui nihil virium ad conſequendum finem conferat, quiſquis in ſocium adſciſci vel poſtulat, vel patitur tacite conſenſiſſe in Legum ſocialium cuſtodiam praeſumitur.

§. 3. *De Voluntate ſocietatis, ubi de ſuffragiis, eorumque aeſtimatione.*

I. Quidquid unanimi conſenſu ſocii voluere id ſocietatem voluiſſe facile intelligitur, quippe quae Perſona moralis eſt ex ſingulis individuis conſtans. Voluiſſe igitur

ſocietas aliquid dicetur, cum id ſinguli Perſonam moralem componentes voluere.

II. Singularis haec cuiuſque voluntas ſuffragium dicitur. Itaque in ſocietate aequali & omnes ſuffragia ferant oportet ut de voluntate ſocietatis conſtet, & ſuffragium unum tanti aeſtimetur quanti alterum; non enim de cuiuſque ſocii ſapientia, ſed de voluntate quaeritur. Haec quidem in ſocietate valent niſi aliter inter ſe convenerint ſocii, aliquando enim ſuffragium tanti aeſtimatur, quantum quiſque ad bonum commune ſocietatis promovendum confert.

III. At cum difficile ſit ut omnes de eadem re idem ſentiant, ſocietas ipſa ſtatuat oportet in rebus emergentibus, quae in deliberationem deducuntur & definitionem expoſcunt, qui ſuffragiorum numerus pro ſuffragio generali, ſive pro voluntate ſocietatis habendus ſit. Qua re conſtituta diſſentientes veluti conſentientes externe habentur ex pacto, quamvis ſpectato jure interno actiones *ſuis* auctoribus imputentur. Si igitur *ſtatutum* ſit ut major pars ſuffragiorum pro *generali* ſuffragio habeatur ſocietas voluiſſe

dicitur quod pleraque sociorum pars voluit.

IV. Cum suffragium unum tanti aestimandum sit quanti alterum, vota numero paria negotium de quo consulitur indecisum, & in pristino statu relinquunt (1); quapropter statuat oportet societas quonam pacto generalis voluntas praesumenda si suffragia paria sint, & negotium, de quo

---

(1) Si igitur duodecim Judices sint & hominem accusatum sex reum sex innocentem pronuncient, praesumptus reus absolvitur, & in pristinum statum restituitur, in quo ante Judicium fuerat. Haec Lex naturali aequitati & rectae rationi consentanea, ut nempe paribus calculis reus vincat, a nostri Juris Interpretibus dicitur Calculus *Minervae. Nomen Legis deductum a fabula* Orestis, *cui in Areopago causam parricidii sui dicenti opem tulit* Minerva, *quae, cum absolventes Judices a damnantibus uno suffragio vincerentur, suum calculum absolventibus adjecit, &* Orestem *paritate suffragiorum liberavit. Vid.* Euripid. *in* Oreste *&* Electra, Aeschylum *in Furiis.* Minerva *apud eumdem* Euripidem *in* Iphigenia *Taurica eam dicit futuram esse perpetuam Legem v.* 1268.

agitur, definitionem expoſcat, & uti convenerit inter ſocios ita jus eſto.

V. Si igitur major ſuffragiorum pars pro generali voluntate haberi debeat, atque adeo vincat, quaeſtio ſuboritur quonam pacto ſuffragia numeranda ſint, ut de eorum pluralitate conſtet. Mirum quantum ea de re diſputaverint noſtri Juris Interpretes. Nobis viſum eſt diſtinguendum eſſe inter quaeſtiones facti, quae unum exitum tantum, & inter quaeſtiones Juris, quae plures exitus habere poſſunt. Quod ad primas attinet coniungenda tantum ea ſuffra-

---

Καὶ τοῖσι λοιποῖς ὁ δὲ νόμος τεθήσεται
Νικᾶν ἴσαις ψήφοισι τὸν φεύγοντ᾽ ἀεὶ

Et ceteris lex iſta promulgabitur
Ut uſque paribus calculis vincat reus.

Vid. Henr. Coccejum *Diſſert. De eo quod juſtum eſt circa numerum ſuffragiorum inter Exercit. Curios. Vol.* 1. *Diſſert.* 36. Boecleri *Diſſert. De Calculo Minervae*. Gabr. Schwederi *Diſſert. De Origin. Jur. Suffrag. inter Diſſert. Vol.* 2. *pag.* 732. *Interpretes ad* Grotium *Lib.* 2. *Cap.* 5. §. 17. *& ſeqq.*

gia dicimus, quae prorſus eadem ſunt, in factum enim aut conſentire aut diſſentire conſulentes debent.

In quaeſtionibus autem Juris aut moralibus, in quibus gradatio, quantitas & menſura intelligitur, non ſingulae ſententiae prorſus eaedem enumerandae, ita ut quae plures in idem conſentientes habet ceteras vincat, ſed ſententiae omnes potius in eo quod commune habent coniungendae, & quod maiori parti viſum eſt pro voluntate generali accipiendum; non enim quae ſententia ſeparatim & diviſim ſumpta plura habeat ſuffragia quaeritur, ſed quae ſit maioris partis voluntas, pars autem hic loci maior dicitur non quae partes ſingulas ſeorſim ſumptas vincit, ſed quae maior eſt relate ad ſingulos componentes, quod quidem nemo, quod ſciam animadvertit, inde tamen pendet propoſitae quaeſtionis recta diiudicatio. Rem hanc ſubobſcuram, & aliquantum implicatam exemplo explicabimus. De reo novem Judices cognoſcant, eaque ſententia ſit rata, quam plures ex eo numero dixerint. Cum novem Judices cogno-

viſſent tres cenſuerunt reum capite puniendum, duo exilio, duo alii pecunia mulctandum, reliqui duo reum abſolverunt (1). In quam poenam conſenſiſſe maior Judicum pars dicetur? Non quidem in poenam mortis, ſex enim vitam reo ſervant; ſi igitur damnaretur, contra pluralitatem ſuffragiorum, atque adeo contra Jus & fas mortem ſubiret. Itaque illud commune habent ſex ſuffragia ut vitam reo ſervent mors igitur excludenda.

Qui mortem reo infligi jure poſſe arbitrati ſunt multo magis aequiſſimam poenam exilium exiſtimabunt, ſi enim reus maiorem poenam meretur juxta eorum ſententiam multo magis minorem merebitur, quae quidem progreſſio de mitiori ad ſeveriorem poenam fieri nequit: tres ergo implicite, duo autem explicite exilii reum damnant, ergo ſi ſententiae in eo quod

F 4

(1) Non abſimilis quaeſtio exponitur ab Aulo-Gellio *Noct. Attic. Lib. 9. Cap. 15. quam quidem* ἄπορον *ſive inexplicabilem dicit.*

commune habent coniungantur, reus pluralitate ſuffragiorum exilii damnabitur (1).

Qui diverſam ſententiam amplectuntur & coniungendas eas tantum ſententias docent, quae in genere & in ſpecie eaedem ſunt, & juxta pluralitatem ſuffragiorum

---

(1) Wolf. *P. VII. Jur. Nat. Cap.* 1. §. 88. *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 5. §. 19. *Qui proxime accedit ad noſtram ſententiam.* Henricus Coccejus *cit. Diſſert. De eo quod juſt. eſt &c. eamdem tuetur ſententiam, eam tamen non ad ſolida principia revocat.* Pufendorf. *Lib.* 8. *Cap.* 2. §. 18. Grotii *doctrinam tranſcribit, ubi vero ab ea diſcedit erraſſe videtur. Conſentanea igitur rectae rationi non eſt Juriſconſulti ſententia in L.* 27. §. 2. *ff. De Receptis qui arb. recep. ubi ſi ex tribus arbitris unus quindecim, alius decem, tertius quinque condemnet, quaeritur cui ſententiae ſtetur; &* Julianus *ſcribit quinque debere praeſtari, quia in hanc ſummam omnes conſentiunt; quod quidem falſum eſt: cum enim unaquaeque ſententia duas ceteras habeat in identitate non conſentientes, & locus ſiat praeſumptioni voluntatis, ea ſumma eligenda eſt quae minimum a ſententia ſingulorum diſtat. Itaque ſi tertia eligatur, ut docet Juriſconſultus, prima diſtat decem*

in eamdem ſententiam decidendum & id aſſerunt quod naturali rationi adverſatur omnino, & in eum errorem lapſi ſunt quod non probe animadverterint id quaeri in hiſce negotiis non quae ſit ſententia quae ſeorſim & ſeparatim ſumpta plura habeat ſuffragia, quod & ante monebam, ſed quae ſit generalis ſocietatis voluntas. In ſuperiori enim hypotheſi reus morte puniendus eſſet, quod omnino abſurdum, qui enim eum damnant plures ſunt quidem habita ratione eorum qui ſeparatim ſumpti non idem

---

ab illa, ſi vero ſecunda tam prima quam tertia diſtat aequali ſumma a ſecunda. Praeſumitur igitur majorem arbitrorum partem voluiſſe potius decem quam quinque. Huc accedit quod ſi ſententiae in eo quod commune habent coniungantur, manifeſte patet duos arbitros excluſiſſe quinque, atque adeo in id majorem partem conſentire, tertia igitur ſententia nunquam eligenda: & cum qui quindecim voluit multo magis decem voluiſſe cenſeatur, ſecundae ſententiae ſtandum. Nec regerendum puto & multo magis voluiſſe quinque, nam publicatis ſuffragiis liquido conſtat duos arbitros, atque adeo majorem eorum partem tertiam ſummam excluſiſſe.

ſentiunt, non vero ratione habita omnium, qui reo vitam ſervant.

§. 6. *Confectaria ex noſtris Principiis de Societate in genere.*

I. Societatum omnium conſilium & obiectum generale eſt mutuum hominum auxilium, ut collatis viribus aliquid ad felicitatem vel comparandam vel augendam conſequantur.

II. Atqui homines ſibi invicem officia humanitatis, ſive mutuum auxilium jure Naturae debent, ergo inter homines univerſos Natura ipſa ſocietatem conſtituit.

III. Sed quia officia humanitatis imperfecte debita ſunt, ideo ſpeciales hominum ſocietates initae, particulares communitates ſeparatim inſtitutae, & pacta percuſſa ſunt ut perfecte debita fierent, & per vim exigi poſſent.

IV. Cum ex individuis ſociorum voluntatibus ſocietatis voluntas conſtet, ſocii autem homines ſint, ſocietati veluti Perſonae ſingulari Leges omnes Naturae non immerito aptantur, quatenus tamen Conſociationis obiectum & ſpecialia ſociorum pacta id fieri ſinunt; niſi enim pacta intercesſerint, nullo

alio vinculo homines obstringi possunt, nisi obligatione naturali.

V. Suprema igitur Societatum omnium Lex ad instar Naturalis Legis illa est ut sui ipsius perfectionem obtineat: perfectio autem societatis in eo sita est ut nullo careat medio ad propositum finem assequendum: & cum media ipsa obtineri nequeant nisi singulorum sociorum vires sufficiant ad finem consequendum, socii cuiusque officium est ut in dies aptior utiliorque fieri curet.

VI. Ergo Societas omnis per se uti Persona Moralis quod ad ceteros homines omnes extra communitatem positos naturali libertate gaudet: quin socii cuiusque singulatim sumpti actiones omnes, quae Societatis obiectum non respiciunt liberae sunt, nec singuli singulis aut universae Societati aliud debent quam quod est assequendo fini consentaneum, atque adeo expressis legibus, aut mutuis sponsionibus constitutum (1).

---

(1) Quisque me etiam non monente intelliget generalibus hisce principiis & subditorum & imperantium jura & obligationes

VII. Mutuo conſenſu initur Societas, mutuoque diſſenſu diſſolvitur. Interit etiam facto potius naturali, quam diſſenſu Sociorum, ſi forte vel Socii omnes pereant, vel ad eum numerum vel ſtatum redigantur, quo non amplius ad conſequendum finem ſufficiant.

VIII. At poteſt ne quiſque ſingulatim Societatem deſerere? Cum Societatis detrimento non poteſt, etenim contra pactum ageret. Si damnum Societati non inferatur cuique permiſſum irrequiſita etiam & inconſulta Societate, niſi diverſum quid lege cautum.

IX. Quaeſitum eſt an Socius, qui eo ſine culpa redactus eſt ut Societas ipſi non utilitatem, ſed damnum tantum inferat, ei renunciare licite poſſit, & id licere pronunciamus, cum in hypotheſi aut naturaliter

---

omnes in Civitate conſtituta inniti, quod quidem adductis hac illhac exemplis oſtendere facile potuiſſem: ab iis tamen afferendis abſtineo ne quae ſunt diverſae tractationis una permiſceam. Haec tamen noſtra de Societate in genere Theoremata diu multum-

dissoluta Societas sit oportet, quae non amplius utilitatem parit, aut ceteros omnes recessisse a pacto mutui auxilii praestandi erga eum, quo casu & is ab obligatione sua liberatur (1).

X. Eodem argumento ostenditur Societati licere Socium expellere qui id, ad quod praestandum Societati tenetur, praestare nolit.

§. 8. *De Imperio*.

Ex Societate igitur primum, nempe ex consensu aut expresso aut tacito, aut saltem praesumpto Jus singulare omnium in singulos ortum est. Imperium igitur, nempe Jus determinandi actiones hominis liberi juxta unius, aut plurium sententiam a consensu derivandum; homines enim omnes aequales, nisi sponte sua aequalitatem exue-

---

que meditetur, probeque percipiat & addiscat oportet quisquis ad publicas res componendas, gerendas, judicandas accedit; nisi velit in turpes errores prolabi non sine multorum hominum exitio & pernicie.

(1) Vid. supra Cap. XIII. §. 1. Not. 1. & Tom. 1. Cap. XI. §. 17. pag. 365. in fin.

rint, & ipfi fibi impofuerint fervitutem.

§. 9. *Ex natura Imperii confectaria.*

I. Ex focietate Imperium, nulla focietas nifi ob Sociorum utilitatem, ergo nullum Imperium, cuius finis non fit utilitas parentium (1).

II. Ex focietate Imperium, ex confenfu focietas, ergo nullum Imperium nifi in confentientes.

III. Ex focietate Imperium, ergo actiones tantum, quae ad focietatem referuntur fubiectae Imperio, ceterae liberae.

IV. Ex confenfu Imperium, ergo Imperantis poteftas tanta, quantam fubiecti detulerint. Cetera cum de Jure Publico agemus.

---

(1) *Praeclare* Cicero *Off. Lib.* 1. *Cap.* 4. *qui id inter prima Naturae quodammodo enumerat*: Huic veri videndi cupiditati adjuncta eft appetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus bene a Natura informatus velit nifi praecipienti, aut docenti, aut utilitatis caufa jufte & legitime imperanti.

CAPUT XVI.

De Societate Coniugali, Paterna, & Herili.

§. 1. *De Societate Coniugali.*

Societatum omnium vetustissima & simplicissima Societas Coniugalis fuit, in mutuam enim coniunctionem, atque adeo in sobolis procreationem mas & femina coeco quodam & praecipiti feruntur impetu, impetum autem Natura dedit, & Naturae auctor Deus, quo exhaustum restitueret genus humanum (1).

---

(1) *Quapropter non immerito Rom. Jurisconsulti inter prima Naturae collocant Matrimonium L. 1. ff. De Just. & Jur.* Cum sit hoc commune animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso conjugio est, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Cicero *De Offic. Lib. 1. Cap. 17.*

Obligatio igitur hominum ad propagationem ſobolis & naturalis eſt, & connata, & univerſalis (1), ad eam enim doloris intimo ſenſo, & voluptatis ipſius illecebris impelluntur homines, eamque ratio naturalis probat, quae ex ipſa corporis humani ſtructura, atque adeo ex Dei ipſius voluntate

---

(1) Hypothetica tamen non abſoluta, nemini enim illud oneris imponitur, cui facultates & phyſicae & morales non ſint ad id ferendum juxta naturalis Legis praeceptum. Itaque ſi rem familiarem probe adminiſtrare, aut liberos alere & educare ut homines decet, non poſſis, ſi foeminam quae digna ſit ut cum ea fortunarum omnium conſortium, & diuturnam vitae conſuetudinem ineas ſecunda fortuna tibi non offerat, non tantum ab obligatione liberaris, ſed a contrahenda ſocietate prohiberis, quam in hypotheſi initurus es cum propriae felicitatis diſpendio, & futurae ſobolis detrimento. Idem intellige si domeſticis & maritalibus ſolutus curis maius afferre poſſis humano generi emolumentum, ſocietatis enim univerſae felicitas, & commune humani generis bonum liciti & illiciti menſuram eſſe multoties diximus. Huc referantur oportet qui divina conſilia ſequuti caelibem eligunt vitam,

tate obligationem naturalem deducit (1).

Obligatio haec naturalis, ut ceterae omnes, ab intellectu, & ratione dirigitur (2); in eo enim homines praecipue a ceteris animantibus differunt. Propagatio ſobolis naturalis eiuſmodi impetus conſilium & obiectum eſt; ergo quaecumque ratio naturalem dolorem avertendi, quae ſaltem implicite ad ſobolem procreandam non referatur, illicita Lege naturali; ſi licita eſſet jam irritum omnino conditoris hominum ſapientiſſimum conſilium, irritum mirabile organorum artificium, quorum ope mortis damna reparantur, irrita ipſa hominis creatio, unius enim aevi ſpatio genus humanum in ſe ruiſſet.

§. 2. *Ex natura Coniugalis Societatis conſectaria.*

I. Propagatio ſobolis praecepta, ſobo-

---

ut diligentius & expeditius ſacerdotalibus officiis & Religioni vacare poſſint, ex qua innumera in Rempublicam bona derivantur.

(1) *Vid. Tom. I. Cap.* 5. §. 1. *pag.* 107.

(2) *Vid. l. c.* §. 2. *& praecipue Art.* Id omne *pag.* 116.

les in lucem edita ſine ope parentum illico peritura, educatio igitur, ſive obligatio parentum erga natos, eos curandi & alendi donec ad eam aetatem pervenerint, qua poſſint propriis viribus vitam ſuſtentare & perficere ab obligatione propagandi ſpeciem ſponte fluit & altera in altera includitur. Quod ratio ſuadet id Natura ipſa confirmat, quippe quae vi quadam interna, quae rationis dictamina antecedit, ad curanda & alenda natorum corpora, iiſque opem ferendam, donec ea indigent, parentes excitat, impellit (1).

II. Si ſobolis educatio praecepta, &

---

(1) *Et natorum amor inter prima & ingenita hominis deſideria merito recenſetur quidquid contra dictitent nonnulli, qui omnia ad ſui amorem referenda eſſe docuerunt. Non hic quae alibi adnotavi tranſcribere animus eſt. Paradoxum ejuſmodi vix confutatione indiget, cum intimus cujuſque ſenſus, & ipſa animalia ratione carentia abſurdae opinionis falſitatem arguant. At quid non poteſt praeconcepta & adamata opinio ſimulac animum hominis acris ingenii inceſſerit? Vid.* Helvet. *Eſpr. Diſc.* 4. *Cap.* 10.

utriusque parentis ope soboles educanda indigeat, uterque ad praestandam operam obligatur. Diuturna hominum infantia, quo tempore natorum numerus crescit, hominis educatio, quae non tantum in corporis, sed & in animi perfectione versatur, postulare videntur ut ambo parentes sociam operam praestent.

III. Utrique igitur Natura sobolis humanae educationem commendavit, ergo concubitum promiscuum, & vulgivagam Venerem vetuit; pater enim esset incertus, atque adeo paterna ope indigeret futura soboles, quam necessariam ad eam alendam educandamque diximus.

IV. Ergo polyandria, sive promiscui feminarum cum viris concubitus Lege Naturae improbantur (1). Huc accedit quod certissimo experimento constat feminas pluribus communes viris difficile concipere

---

(1) Concord. Auth. Hodie Cod. De Repud. Argum. L. 6. §. 1. L. Stuprum 34. ff. Ad Leg. Jul. De Adulter.

poſſe, eiuſmodi igitur coniunctio ſapientiſſimo Naturae conſilio adverſatur. Itaque non recte *Plato* uxores communes in Republica ſua conſtituit (1).

Item ab Jure Naturae aberraſſe videtur Lycurgus (2), qui lege lata permiſit ut Cives uxores proprias mutuas interdum alteri darent vel ut ipſi ex ſtrenuo & virtute praedito viro filios in poteſtate haberent,

---

(1) De Rep. Lib. 5. Publicas res non privatas gerendas eſſe a viris arbitrabatur Philoſophus, atque adeo natos a communibus uxoribus genitos publicae educationi quaſi non Civium ſed Reipublicae filios tradendos. Vid. quod ſupra diximus de communione bonorum Tom. 1. Cap. 8. pag. 199. not. 1. quod enim contra prima & ingenita Naturae deſideria ſtatuitur, quod naturalibus innocuiſque animi adfectionibus, quibus ad benevolentiam, induſtriam, laborem excitamur, adverſatur omnino, id ſemper in Civitate calamitoſum: naturales enim adfectus regendi, & ad Communitatis generale bonum convertendi, non extinguendi omnino ſunt civilibus Legibus.

(2) *Vid.* Plutarch. *in ejus Vita*, Xenoph. *De Republ. Lacedaemon. Cap.* 2. §. 7.

vel ut alter ex ingenua & praestantissima femina filium sibi compararet. Dubitari potest an mos istiusmodi ita regi & temperari Legibus possit, ut obiecto coniunctionis maris & feminae non adversetur. Fatendum tamen est maximum exinde incommodum oriturum, quod materna ope genita soboles fere omnino destitueretur, qua potissimum indigere teneriore aetate pubescentes filios liquido constat.

V. Illud extra dubium positum esse videtur Patrem certum, Prolisque educationem juxta praescriptum naturalis Legis haberi non posse, nisi aliqua sit maris & feminae constans vitae consuetudo & familiaritas, saltem donec futura proles ope parentum indigeat (1).

(1) *Exinde apparet Matrimonii iis legibus; quae fere apud omnes valent, contracti, & quae individuam consuetudinem jubent, si non necessitas, saltem utilitas. Eo pacto Lex Naturae est a sapientissimo Religionis Conditore ad perfectionem quodammodo redacta. Nil est enim rectae rationi magis consentaneum, nil novae familiae, atque*

VI. Atque adeo patet genus humanum nec propagari posse nec educari ita ut Naturam humanam decet, nisi per societatem inter marem & feminam, cuius obiectum sit sobolis procreatio & educatio. Apud nos istiusmodi societas dicitur Matrimonium.

VII. Quaesitum est an unius feminae tantum cum viro societatem Natura imperet. Nobis visum est Polygamiam non esse

---

adeo Civitati conducibilius, quam ut coniugalis societas sit ad longum tempus, immo in perpetuum contracta; tum quod diu parentibus indigeant nati etiam post patris vel matris, vel utrorumque insoecunditatem, tum quod nulla sincera animi adfectio, & amicitia esse possit inter eos qui ad tempus tantum, & uno procreandae sobolis consilio societatem ineunt, cum sincera inter probos amicitia perpetuitatem desideret. Si post genitam sobolem conjugalis societas dissolvi possit, nec coniugi spes sit in familiae sinu, quam ex suo sanguine procreavit & aluit extremum vitae tempus transigendi, quid erit aliud conjugalis consuetudo, quam muliebris corporis vilissimum mercimonium? quod quidem quam sit natorum prosperitati & educationi contrarium nemo non videt.

absoluto naturali Juri contrariam; nefas enim est ut evidenter ostendatur ea societate constituta nec sobolem procreari, nec eam attente & honeste educari posse. Polygamiam igitur ratio naturalis vetat si obiecto matrimonii adversetur, eam autem absolute adversari non existimamus: prohibitio igitur hypothetica non absoluta, ut fere omnia sunt quae Jure Naturae prohibentur; nam, si pauca excipias, ea quae illicita dicimus, ut plurimum, & hypothetice illicita sunt, nempe ut plurimum humano generi, & universae hominum societati detrimentum afferunt, in quibusdam autem & loci & temporis opportunitatibus licita fiunt, cum nempe id publica hominum utilitas exposcere videtur, quae quidem suprema Lex est (1). Si

(1) Id quidem & vetus & recens humani generis confirmat historia. Constat enim apud plerasque Gentes Polygamiam permissam sine maxima & Civilis & Humanae societatis pernicie; quod fieri non potuisse patet si absoluto Juri Naturae adversaretur, quae enim ejusmodi sunt non dicam cum ho-

ad haec animum advertiſſent noſtri Juris interpretes minor fortaſſe apud eos fuiſſet de Polygamia controverſia; facile enim noviſſe poterant Polygamiam quamvis fortaſſe non abſoluto, attamen ut plurimum hypothetico Naturali Juri, atque adeo obiecto Matri-

---

minum ſocietate ſed ne cum eorum quidem conſervatione poſſunt conſiſtere. Quiſque novit ante Legem Judaeis Polygamiam, a Deo inviſibili eorum Monarcha permiſſam, viroſque ſanctiſſimos una plures uxores habuiſſe. Vid. Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 5. §. 9. *Multa tamen ſunt, quae contra polygamiam afferuntur argumenta, quae hic referre non vacat, quandoquidem inſulſa & inepta pleraque ſunt, & ſcholam potius, quam rectam rationem ſapiunt. Qui velit in hiſce nugis tempus terere adeat oportet quae hinc inde prodiere circa Polygamiam ſcripta ab anno* 1670. *uſque ad ann.* 1717. *quae enumerantur a* Budd. *Hiſt. Jur. Natur. inter ſelect. Jur. Natur. & Gent. pag.* 57. §. 43. *& a* Meiſter. *Biblioth. Jur. Nat. & Gent. Tom. III. pag.* 6. *& ſeqq. Primum certatum eſt argumentis a ratione, ab Hiſtoria petitis, mox majore rixa facta, & incaleſcentibus animis, praeliatum eſt, ut fieri ſolet inter noſtri aevi philoſophos ſi diis placet & literatos, conviciis, maledictis, & contumeliis.*

monii contrariam publicis Legibus fuisse cohibendam, ut apud Gentes moratiores ubique factum est (1).

VIII. Monogamiam tamen praeferendam in genere ipsa jubet naturalis ratio, ad eam enim Natura eadem impellit, quae cetera animantia, quorum filii ope utriusque parentis indigent, marem & feminam tantum coniungit, & in humana specie mares & feminas pari fere numero in lucem edit. Et Jure igitur & facto naturali Polygamia in genere interdicitur (2).

IX. Obiectum societatis coniugalis sobolis procreatio & educatio: sine patre certo mutuaque coniugum amicitia & procreatae familiae amore aut nulla aut difficilis educatio, ergo prima Lex societatis jus mutuum in coniugum corpora, & id singulare. Si fe-

---

(1) *Vid. L.* 1. *ff. De his qui not. infam. L.* 2. *Cod. De Incest. Nupt. L.* 18. *Cod. Ad. Leg. Jul. De Adulter.*

(2) *Itaque praeceptum Evangelicum de Monogamia inter divinae Religionis sectatores ipsius Legis Naturalis est interpretatio & perfectio.*

mina ab alio quam a viro ſuo comprimi patiatur, jam pater incertus, vir autem aliam appetere feminam ſine mutuae amicitiae & domeſticae curae diſpendio vix poteſt. Sine ea lege ſocietas coniugalis non conſiſtere, educatio natorum juxta praeſcriptum Legis obtineri non poſſe videtur.

X. Polygamia ſi quando licita legem moderatur ex conſenſu contrahentium, non omnino tollit.

XI. Ergo concubitus cum extranea perſona inconſulto & invito altero coniuge, qui adulterium dicitur, & jus coniugale laedit, & ab jure naturali prohibetur, quo nulla alia coniunctio praeter coniugalem admittitur (1).

---

(1) Exinde eruitur & Stupri & Fornicationis turpitudo; sive enim liberam & honeſtam feminam, sive jam corruptam & corpore quaeſtum facientem compreſſeris explendae tantum libidinis gratia, jam expreſſam Naturae violas legem, quae ad egregium & pene divinum opus, nempe hominis procreationem, non ad abiectam ſordidamque voluptatem explendam perpetuis ſtimulis te impellit. Exinde etiam patet caſtitatem conju-

XII. Societas omnis ex consensu, ergo & societas coniugalis consensu (1) contrahitur & perficitur. Huc referantur oportet sponsalia, que pactum sunt de coniugali societate ineunda, quaeque in Jure Naturae veluti mutuae promissiones Regulis jam traditis ponderantur (2).

§. 3. *De mutuis Coniugum officiis.*

Educatio prolis obiectum societatis coniugalis, educatio sine solicitudine & impensis non perficitur, ergo uterque Coniux

---

galem & pudicitiam Lege Naturae praeceptam. Castus *est qui a data in matrimonio fide nunquam deflexit*, pudicus *qui ab illicitis coniunctionibus abstinuit, nec corpus alienae libidini unquam mutuavit.*

(1) *Concord. L.* 30. *ff. De Reg. Jur. L.* 15. *ff. De Condit. & demonstr. L.* 1. 2. 3. 4. *ult. ff. De sponsal.*

(2) *Et quidem causae complurimae, si eas excipias quae Religioni aut civilibus legibus acceptae referendae sunt, ob quas sponsalia in Civitate dissolvuntur & quamcumque aliam promissionem irritam redderent, & principiis jam positis circa validitatem promissionis in genere innituntur. Vid. tot. Tit. ff. De sponsal.*

& bona & operas in commune conferat oportet, nisi aliter inter eos convenerit: fortunarum enim omnium societas, bonorumque & operarum communio, quae naturaliter coniugium sequitur, temperari vel privatis pactis, vel Civilibus Legibus (1) potest, at leges omnium optimae, quarum ope societatis istiusmodi vinculum magis magis-

---

(1) *Romano antiquo Jure bona uxoris in dominium viri ita transiisse ut uxor nihil haberet proprii, sunt qui asserunt. Vid.* Heinecc. *Antiquit. Rom. Lib.* 1. *Tit.* 10. §. 6. & 7. *Lib.* 2. *Tit.* 9. §. 4. & *Lib.* 3. *Tit.* 10. §. 6. *Jure novo vir dominium quod civile vocant sive usumfructum in rebus dotalibus habet L.* 7. §. *ult. L.* 75. *ff. De Jure Dot. L.* 30. *Cod. eod. L.* 21. §. 4. *ff. Ad municipal. & de incol. Attamen non defuere Gentes, quae naturalem aequitatem sequutae latis legibus universam bonorum communionem inter virum & uxorem induxerunt. Vid.* Johann. Voet *ad Tit. ff. De Rit Nupt. n.* 55. & *seqq.* Wesel *de Connub. societ. Quin nec posterioribus Romanis Legibus improbatae generosae feminae, quae cum coniuge patrios miscerent census, & viro quasi socio & participi gauderent L.* 16. §. *ult. ff. De Aliment. vel cib. legat. L.* 32. §. 24. & *L.*

que obstringitur, non quae unius viri imperio faventes id efficiunt, ut uxor in mariti domum deducta nil aliud sit quam extranea femina, quae corpus suum mutuavit viro ut filios gignat, & voluptatibus domini sui inserviat.

IV. Ceterum naturaliter, nisi expressis conventionibus aliter cautum sit, uterque Coniux omnia omnino faciet, ut sobolis educatio perfecta obtineatur; illud enim commune est societatum omnium, ut quisque socius eas operas praestet, quae ad finem societatis assequendum & utiles & necessariae sunt. Civile igitur est ut nisi Patrimonii & industriae fructus sufficiant ad alendos, educandosque natos, paterna bona tantum distrahenda sint, non autem materna pro rata (1).

---

26. ff. De Donat. inter vir. & uxor. Pactitia tamen fortunarum omnium societas apud Romanos, non legitima, nam jure civili bona uxoris & mariti distinguebantur. Vid. Not. seq.

(1) Bona uxoris apud Romanos in dotalia, paraphernalia, & receptitia divide-

V. Ex hac Coniugum perfecta vitae conſuetudine, & bonorum & operarum communicatione ad prolis educationem ut plurimum neceſſaria ſequitur a Natura improbatas eas omnes coniunctiones, quae mutuam hanc ſolicitudinem non includunt (1).

---

bantur: prima quod ad ſubſtantiam ſalva ſemper uxori, altera quod ad ſubſtantiam et fructus conceſſa marito ſimplici adminiſtratione, tertia ita uxor pleno jure ſibi retinebat, ut et Mariti adminiſtrationi et poteſtati omnino ſubducerentur L. 8. et 9. L. ult. Cod. De pactis. Vid. Tot. tit. ff De Fundo Dotal.

(1) *Eiuſmodi ſunt Matrimonia, quae vocantur irregularia, et quae propius ad concubinatum quam ad ſtabile firmumque conjugium accedunt. Huc referatur pactum, quo vir cum femina convenit, ut ei unum vel alterum filium gignat excluſa vitae conſuetudine, nulloque inito contubernio, vel ut genitis filiis femina et contubernio una cum procreata ſobole excedat ſoluta ipsi mercede pro natorum educatione, aut patri, recepto tantum praemio, filios educandos relinquat, quod quidem Matrimonium apud Orientales uſitatum ad* Thalac *vocant. Vid.* Wolf *Jus Nat. P.* 8. *Cap.* 2. §. 479. *Sed non tam a naturali Jure abludere videtur Matrimonium*

VI. Cum alterius alter coniux in ſobolis educatione poſcat opem & coniuret amice, ſequitur ut alter alterius felicitatem quantum in ſe eſt promovere debeat Natura jubente. Si enim hoc obligationis vinculo obſtringuntur homines omnes, quanto magis Coniuges obſtringantur oportet, quorum res proſperae & adverſae ex ſocietatis ipſius natura invicem communicantur? Amor igitur coniugalis Lege Naturae praeceptus, ſine quo nec ſocietatis finis obtineri, nec beatam tranquillamque vitam agere Coniu-

---

quod dicitur ad Morganaticam *apud Germanos et Brabantos frequentiſſimum; initur enim a viro cum impare femina ea lege* ut nec ipſa nec filii ejus amplius habeant de bonis paternis, quam dixerit tempore ſponſaliorum; verbi gratia decem Libras, vel quantum voluerit dare, quando eam desponſavit. *Verba ſunt Lib.* 2. *Feud. Tit.* 29. *De vocis Ethymo vid.* Henr. Cocceium *De Lege Morganatica ſect.* 2. *inter Exercit. curios. Diſput.* 93. *Tom.* 1. Du Cange *Gloſſar. med. et infim. Latinit. Voce* Morganegiba. *Vid.* Joh. Henr. Wolfarti *Tractat. Jurid. De Matrim. ad Morganat.*

ges poſſunt; quod quidem oh utinam bene perpenderent qui tam imprudenter & temere ſacram hanc ineunt ſocietatem! non querelae, non rixae, non diſcordiae privatas agitarent familias, quo fonte derivata clades in patriam populumque fluit.

VII. Si officia omnia ab ipſa hominum natura derivanda, quis neget Naturam ipſam juſſiſſe ut matres filios lacte ſuo nutriant, eoſque conſueti atque cogniti ſanguinis alimonia non privent? Idem enim ſanguis eſt in uberibus, qui in utero fuit, quique mirabili ſolertis Naturae artificio in ſupernas ſe profert partes, & ad fovenda vitae rudimenta praeſto eſt, & recens natis notum & familiarem victum praebet.

Attamen Naturae vocibus ut plurimum accluduntur aures, exuitur maternus amor, abiiciuntur partus, & impuriſſimae feminae fontem illum ſanctiſſimum humani generis educatorem areſacere & extinguere non ſine periculo averſi corruptique lactis laborant, veluti ſi mammarum ubera, ut *Gellius* ait(1), quaſi

(1) *Noct. Atticar. Lib.* 12. *Cap.* 1.

quasi quosdam naevulos venustiores non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris gratia Natura feminis dederit.

VIII. Non autem naturale officium videtur, si coniugalem societatem tamquam naturalem Contractum, non tamquam sacramentum respicias (1), ut uxor sub viri potestate sit: nullum viri in uxorem imperium nisi ex eius expresso, aut praesumpto consensu (2). In Civili statu, ubi Leges Imperium aliquod marito in coniugem suam constituunt, feminae quae coniugalem init societatem praesumitur legitime consensus. Haud equidem Leges Civiles reiiciendas censeo, eas tamen impense laudarem, quae societatis, amicitiae, & amoris vinculum inter Coniuges firmius, non quae servitutis jugum durius acerbiusque efficerent. Nullus amor inter ancillam & dominum, atque adeo fere nulla ad liberos curandos, educandosque solicitudo. Sunt qui perperam arbitrantur ex

---

(1) *Vid. n.* 10. *Not.* 2.
(2) *Vid. supra Cap. XV.* §. 9.

graviditatis & puerperii neceſſitate, ex ipſa muliebris corporis ſtructura, atque adeo ex ipſius corporis & mentis imbecillitate oſtendi poſſe feminas ad ſervitutem natas, quippe quae aliena ope & conſilio in via vitae indigeant; nam quamvis ultro concederemus revera in naturali ſtatu maſculos in genere & corporis & ingenii viribus praeſtare feminis, de quo tamen merito dubitari poſſet, attamen exinde nullum jus ſingulare alteris in alteras deduceretur, nullumque imperium, quod a conſenſu tantum ortum ducere diximus (1). Ceterum cum utriuſque Coniugis ſuffragium in adminiſtranda re familiari tantidem faciendum, &

---

(1) Haec quidem dicta volo de simplici coniugali ſocietate, nam si femina in mariti domum deducatur, et is sit familiae ſuae caput, et Leges dicat, familiamque regat ex ſententia, tunc uxor mixtam quodammodo init ſocietatem, et qua uxor et qua familiae pars, quae Civili ſocietati propius accedit. Quae igitur in novam ſocietatem adſciſci patitur vel tacite imperantis Legibus ſe obtemperaturam promittit, vel pactis expreſſis Mariti imperium quod ad familiarem ſo-

vota paria ſint, ſi ſententiae diſcordes, paciſcantur oportet Coniuges qua via expedienda negotia ſint, & cuinam praerogativa concedenda. Si res de qua agitur ſedulo & ſine partibus introſpiciatur quiſque fateatur oportet & privatis & publicis rebus magis expedire ut potius viro quam feminae in genere praerogativa concedatur (1).

H 2

---

cietatem temperat. Hoc poſito facile intelliguntur Romanae Leges quae jus corrigendi puniendique uxorem uſque ad necem Marito antiquitus tribuebant, publica enim poteſtate non adhuc bene perfecteque conſtituta, Vir tanquam familiae caput quaſi ſummi Imperantis juribus in quibuſdam utebatur. Vid. L. 4. *ff. De His qui ſui vel alien. L.* 195. §. 2. *ff. De Verb. ſignif. Vid.* Dionyſ. Halicarn. *Hiſt. Lib.* 2. *Cap.* 4. Liv. *Lib.* 39. *Cap.* 18.

(1) *Cum igitur humani generis felicitas in genere ſit Juſtitiae et Honeſtatis fundamentum, Naturalem juſtitiam ſapientiſſime interpretata eſt Lex divina poſitiva in veteri et novo Teſtamento nobis tradita, quae Viris in uxores poteſtatem et imperium in genere conceſſit. Geneſ. Cap.* 3. *v.* 16. I. *Ad*

IX. Quamvis arctiſſimum ſit amoris & conſuetudinis vinculum inter Coniuges ipſa Natura jubente, alter tamen ab altero differt, neque actiones alterius alteri jure imputantur (1). Sed ſi uxor aes alienum educationis cauſa contraxerit a marito ſolvendum *(2)*, quippe qui obligatione alendi li-

---

Corinth. Cap. 14. *v.* 35. *et Cap.* 11. *v.* 7. 8. 9. *Ad Epheſ. Cap.* 5. *v.* 22. *et ſeqq. Vid. Can.* 12. *et* 14. XXXIII. *q.* 5. *Can.* 17. *ead. cauſ. et quaeſt C.* 39. VIII. *q.* 1. *C.* 35. XXXIII. *q.* 4. *C.* 10. XXXIII. *q.* 2. *Fuere tamen quibus adeo ſocietatis aequalitas in coniugio placuit, ut nec praerogativam aliquam ſuffragio viri concedendam afferant; ſed rem controverſam potius ad communes amicos, sive ad arbitros referendam doceant.* Franc. Hutcheſ. *A ſyſtem. of Mor. philoſoph Lib.* 3. *Cap.* 1. *n.* 7. = But in matters of great importance to the happineſs of a family, if they cannot agree, Nature ſuggeſte no other method of deciding ſuch controverſies, but a ſummiſſion to common friends, as arbitrators. *Neſcio equidem an multi eiuſmodi ſententiae ſint ſubſcripturi.*

(1) *Concord. Tot. tit. Cod. Ne Uxor pro Marit.*

(2) Ea eſt communis Interpretum ſententia innixa argum. Legum Tit. ff. De in rem verſo.

beros obstrictus, nisi solveret, ditior fieret cum aliena jactura, quod est contra Legem.

X. Et quamvis Coniugium societas libera sit, attamen eam non solvendam si obiecto ipsius societatis damnum inferatur naturalis Lex jubet. Igitur contra eius praescriptum agerent qui liberis non educatis societatem solverent. Si tamen nulla ope parentum liberi amplius indigeant, aut ii nati non fuerint vel omnes emortui, si libertatem Naturalem tantum respicias, a pacto societatis mutuo dissensu recedere posse Coniuges non ambiges, nihil enim tam naturale est, quam eo genere quidquid dissolvere, quo colligatum est. Et quia in mutuis promissionibus qui a pacto recedit alterum ab obligatione liberat, adulterio, malitiosa desertione, pertinaci coniugalis officii denegatione, & irreconciliabili sociorum odio (1)

(1) *Hoc principio innititur* Justinus Caesar *Nov.* 140. *qua Divortium consensu partium permittit*. Eos siquidem qui violento affectu odioque semel correpti fuerint perquam est difficile reconciliare.

superveniente, etiam invita altera parte coniugium dissolvitur; haec enim omnia, & cetera huiusmodi directe contraria sunt societatis coniugalis obiecto. Lege tamen Evangelica Connubium si rite, si valide & legitime contractum fuerit, apud nos indissolubile omnino, & sola morte dirimendum. Cum enim ad Sacramenti maiestatem Divina Lege evectus sit simplex hic naturalis contractus, novis etiam subiicitur regulis, quarum interpretatio ad Religionis, non ad Iustitiae naturalis Sacerdotes pertinet *(1)*

---

(1) Quapropter consulto praetermisimus multa quae nostri Juris interpretes quaerunt circa Divortium, & eius legitimas causas, an scilicet permissum fuerit in veteri Lege simpliciter & absolute, an in nova vetitum omnino, vel adulterii tantum causa, seu & ob alias causas etiam in nova permissum. Nobis enim visum est haec omnia aliena esse ab universali Jurisprudentia, quam tradimus, & in quam Christianae Theologiae tractationes traducere animus non est. Quid homini Christiano liceat, habita Religionis ratione, aliunde petendum. Silet humana ratio si expressa sint Dei Optimi Maximi praecepta, si Sacramenta a Christo Domino instituta ex-

XI. Soluto matrimonio licet viro illico ad secunda vota convolare (1), feminae non item propter incertum uterum, & sanguinis confusionem, certitudinem enim Patris ad prolis educationem necessariam esse diximus. Eo tempore igitur viduitatem servet oportet, quo liquido constare possit se uterum ex priore marito non gerere *(2)*.

---

hibeantur, ea enim arcana et sublimiora mysteria continent, quae supra rationem sunt. Qui tamen haec erudite quidem et eleganter pertractata meditari velit apud nostros, adeat oportet Grotium *Lib.* 2. *Cap.* 5. Pufendorf. *Lib.* 6. *Cap.* 1. §. 21. *et seqq.* Joh. Selden. *Uxor Hebraic.* Joh. Milton. *De Divort.* Henr. Bodini *De Jure et errorib. circa Divort. Controvers. circa Jus divort. ubi simul collecta invenies opuscula varia ad hanc materiam pertinentia coniunctim edita Halae* 1737. Henning. Arnis. *De Jure Connub. Cap.* 6.

(1) Concord. L. 9. *et* 10. *ff. De His qui not. infam.*

(2) *Jure Civili per annum luctus tenetur expectare; si secundo immature nupsit infamis est aliisque plectitur poenis L.* 1. 3. 11. §. 1. 3. 4. *L.* 12. *ff. De His qui not. infam. L.* 1. *Cod. De secund. Nupt.*

Haec quidem recte procedunt ſi nulli ſint ex priore coniugio filii ſuperſtites, qui adhuc parentum ope indigeant: ſi fuerint, & manifeſte appareat ſecundas Nuptias eorum educationi & proſperitati damnum allaturas, eas in genere improbandas patet, quamvis enim coniugalis ſocietas alterius coniugis morte diſſoluta omnino ſit, attamen immobilis reliqua eſt obligatio alendi, curandi, educandique liberos, quod munus uno extincto alteri ſuperſtiti coniugi Lege naturali imponitur, & quod, ſi ut decet rite probeque implere non poſſit novam cum altero coniuge ſocietatem initurus, ut ab ea contrahenda abſtineat Lex imperat, qua quiſque jubetur, ut nullam ſibi contractam obligationem imponat, quae naturalibus explendis impedimento ſit.

Et quamvis in ſtatu civili, ſecundis nuptiis ſine ullo diſcrimine permiſſis, prioris ſobolis educationi per legitimam agnatorum, ſive dativam tutelam aliquo pacto conſultum ſit, attamen fatendum eſt & viros & feminas humanitatem omnem abieciſſe, ſi tenera adhuc ſobole, paterniſque curis vel materna vigilantia indigente tam facile ad

fecundas convolant nuptias; alteri enim filiis Novercas, quas perpetuo experimento constat privignis esse infensissimas, inducunt, alterae vero dulcium natorum amore abiecto, sobolem curandam educandamque relinquunt iis, qui etsi velint munus impositum perfecte exsequi, non possunt; ipsis enim deest ingenitus ille amor erga liberos, unde perpetua solicitudo, cura, diligentia parentum, & quem ex generatione tantum ortum ducere constat. Quapropter magnopere laudandas censeo Civiles Leges quae non tam levium poenarum metu coniuges superstites, si filios in priore coniugio procreaverint, a secundis nuptiis arcent & deterrent (1).

---

(1) Binubus vel binuba amittit proprietatem eorum omnium, quae sibi ob quamcumque causam obvenerunt ex defuncti coniugis largitate, cessuram filiis primi coniugii, sibique tantum retinet usumfructum L. 3. Auth. Lucrum hoc. L. 5. Cod De secun. Nupt. Novell. 2. Cap. 2. Novell. 22. Cap. 32. Quidquid percepit succedens filiis prioris matrimonii ab intestato quod a parente eorum praedefuncto profectum sit servare tenetur ceteris filiis si

§. 4. *De Matrimonio inter Propinquos.*

Anceps quaeſtio eſt & in utramque partem tam a veteribus, quam a recentioribus Philoſophis iudicata, an ſcilicet matrimonia inter conſanguineos ſint abſoluto Juri Naturae contraria. Rationum momentis, quae ultro citroque afferuntur ad examen revocatis, nobis viſum eſt matrimonia inter Parentes, vel eos qui Parentum loco ſunt, & filios & deſcendentes Juri naturali abſoluto adverſari; inter conſanguineos vero collaterales, qui in eadem familia ſunt, hypothetico.

ſupersint d. L. 3. §. 1. Auth. Ex teſtament. Cod. De ſecund. Nupt. Nov. 22. Cap. 46. Non poteſt plus donare ſecundo coniugi vel actu inter vivos, vel ei ultima voluntate relinquere, quam uni ex liberis prioris coniugii, cui minimum relictum eſt L. 6. Cod. de ſecund. Nupt. Novell. 22. Cap. 27. Mater amittit filiorum tutelam d. Novell. Cap. 40. Pater vero si haeres instituatur, et oneretur Legato conditionali praestando filiis prioris coniugii ad ſolemnem ſatisdationem tenetur d. Novell. Cap. 41. Auth. Sacramentum Cod. Quando mul. Tutor. offic. L. 6. §. 1. Cod. Ad Senatusconſult. Trebellian.

Quod ad primum attinet, insita a Natura ipsa videtur aversatio & fuga quaedam commixtionis cum Parentibus & ex se natis, quae omnem societatis & educationis institutionem antecedat; cum animi enim affectiones, quas ipsa Natura erga filiam, puta, Patri inseruit, immane differant ab iis, quas amoris vel libidinis impetus excitat, & versa vice quae filiae naturaliter insunt plurimum distent ab illis, quas vesani amoris aestus, & sperati concubitus cupido ciet, mutua officia omnia inter eos labefactentur & confundantur, naturalesque affectiones omnes extinguantur oportet, ut novis affectibus locus fiat, quod quidem improbare Naturam patet; eam enim jubere ut quaedam inter parentes & filios officia sint, & non sint contradictorium est. Quinam filialis timor & reverentia cum appetitu ad concubitum? quinam perpetua voluntas Patris animum filiae ad virtutem verbis & exemplo dirigendi cum illecebris & irritamentis libidinis, quae ab amore nunquam dissociatur, & quam Pater compescere potiusquam irri-

tare debet, conſiſtere poteſt (1)? Inde non immerito iſtiuſmodi nuptiae inter gentes omnes deteſtatae, eaſque Juriſconſulti Romani inceſtum Juris gentium eſſe ſtatuerunt (2).

Quod autem ad collaterales attinet cum ex natura coniugalis ſocietatis, & educationis neceſſitate fiat, ut ſaltem ſoror & frater in eadem vivant familia, naturali ra-

---

(1) Hac naturali affectuum repugnantia tantum inniti Nuptiarum inter aſcendentes & deſcendentes turpitudinem arbitror, licet ſubtiliter magis quam vere multi & alias & validiores etiam ejus rei rationes ſe nactos eſſe ſibi perſuadeant, quas quidem ſingillatim percenſere inſtituti noſtri ratio non patitur. Vid. Plutarc. *Quaeſt. Rom.* 108. S. Auguſt. *De Civit. Dei Lib.* 15. *Cap.* 16. Xenoph. *Memorabil.* Socrat. *Lib.* 4. *Cap.* 4. §. 22. Grot. *Lib.* 2. *Cap* 5. §. 12. *& ſeq. & ibi* Cocceium *Senior. Chriſtian.* Wolf. *Jus Nat. P.* 7. *Cap.* 4. §. 826 Erneſt. Auguſt. Bertling. *Diſſert. De Gradib. prohibit. ſecundum Jus Natur.*

(2) L. 38. §. 2. *ff. Ad L. Jul. de Adult. L.* 34. *& L. ult. ff. De Ritu Nuptiar.*

tioni consentaneum esse videtur, ut nuptiae inter eos consistere nequeant; decet enim ut quae cohabitatio necessaria quodammodo est, eadem pura & sancta esse debeat, quod sane fieri ut plurimum non posset si fratri sororis, sorori fratris concubitum appetere liceret, seque invicem ad amoris illecebras incitare. Nefas igitur est ut Natura rem permittat, quae sanctitatem & honestatem familiarum pessumdare, easque in lupanaria convertere posset (1). Has nuptias adversari diximus Juri saltem externo Naturae hypothetico, nam in collisione officiorum,

---

(1) Huc accedit quod maximi interest universae hominum societatis ut extra familiam nuptiae celebrentur, tum ut latius pateant amicitiae per diffusas affinitates, tum ne homines a naturali robore, proceritate, & dignitate degenerent, quod quidem futurum esse nonnulli arbitrantur si a cognatis & consanguineis in eadem familia propagentur, ceterorum animalium exemplo, quae a prima bonitate degenerare aiunt, nisi ad procreandam sobolem ex diverso armento masculi admissarii adducantur. Vid. Michaelis *Mosaiches Rect. et Lib. cui titul. Recherch. Philosoph. sur les Aegypt. & les Chin.*

& ſi neceſſitas quaſi ab ipſo Deo obiiciatur quaelibet honeſta ratio eſt expediendae ſalutis. Eo pacto intelligitur Adami Poſteros per inceſtum non propagatos.

CAPUT XVII.

De Societate Paterna, & Herili.



§. 1. *De mutuis Parentum et Liberorum officiis, et Patria Poteſtate.*

I. Ex ipſa coniugalis ſocietatis natura ſobolis educandae obligatio, nulla obligatio, cui jus non reſpondeat, ergo Liberis jus a natura conceſſum, ut a Parentibus educentur.

II. Educare nil aliud ſignificat quam labore & induſtria liberos ad eum ſtatum redigere, quo poſſint propriis viribus vitam ſuſtentare juxta naturalis Legis praecepta (1).

---

(1) Concord. Rom. Leges quae alimentorum nomine, quae liberis a Parentibus de-

III. Illud primum potiſſimumque naturalis Legis praeceptum „ *Felicitatem quaere* „ In eo igitur educationis ſumma ſita eſt, ut Parentes omnia omnino faciant, ut liberis viam ad felicitatem comparandam ſternant quam poſſunt expeditiſſimam: quae autem ſint elementa, quae felicitatem hominis con-

---

bentur ſive legitimis ſive naturalibus, non tantum victum, ſed & amictum, habitationem, medicamenta, & diſciplinam pro conditione perſonarum complectuntur. Vid. L. 6. & ult. ff. De Aliment. vel cib. Legat. L. 43. 44. 234. ff. De Verb. ſignif. Argum. L. 12. §. 2. & 3. ff. De Adminiſtr. & peric. Tutor. L. 4. & 5. §. 1. L. 10. ff. De Agnoſcend. & alend. liber. L. 4. ff. Ubi Pupillus educari. L. 6. §. 5. ff. De Carbon. Edict. Novell. 18. Cap. 5. Novell. 89. Cap. 12. §. 4. Liberi ex inceſto & damnato complexu procreati jure Civili nec alendi a Patre Auth. Ex amplexu. Cod. De inceſt. & inutibil. Nupt. Quid inhumanius? Cur ſcelerati Parentis infanda Crimina inſontibus filiis imputanda? Aequitas tamen naturalis fere ubique valet, filiique ſine ulla diſtinctione a Parentibus alendi & educandi. Vid. Cap. 5. X: De eo qui duxit in Matrim. quam polluit per adult.

ſtituunt veram, non fictitiam, non ab animi perturbationibus excogitatam alibi diximus; ergo obiectum educationis praecipuum illud erit ut Parentes animum, corpus, & externum liberorum ſtatum quantum in iis eſt perficiant.

IV. Cui a natura obligatio impoſita eſt, ei omnia ſunt jura tributa, ſine quibus obligationem implere nequit: Parentes ad perfectionem liberorum promovendam perfecte obligantur, ergo jus habeant oportet actiones liberas filiorum ad eum finem dirigendi, donec ipſi per ſe quid agendum vel non agendum intelligant.

V. Hinc paterni Imperii origo, hinc liberorum obligatio ad parendum. Imperium igitur Patris nullum niſi ob felicitatem liberorum (1).

VI.

---

(1) Imperium Patris Juriſconſulti deducunt ex duplici principio 1. quia filius pars eſt corporis parentum, atque adeo Pater eum utpote ex ſuo ſemine procreatum, tamquam fructum rei ſuae proprio jure vindicat, quaſi vero quae jura rerum ſunt propria,

VI. Quae jussa ad felicitatem & perfectionem filiorum non referuntur iniusta & violenta, & Tyranni potius insolenter impe-

---

pria, ea aptari possint homini libero, qui non ad familiam tantum, sed ad universam pertinet societatem. 2. Quia Pater est dominus familiae suae. Vid. L. 1. §. 1. ff. De inspiciendo ventre. L. 195. §. 2. ff. De Verb. signif. Exinde jura omnia Patris in filios a Dominio saltem Quiritario ortum ducunt L. 1. ff. De rei vindicat. L. 1. ff. De Liber. exhibend. L. 14. §. 13. ff. De Furtis. L. 33. & 34. ff. De Noxalib. Action. Quapropter factum est ut patria Potestas, quae maximum tribuebat jus in filios civilis dicatur, vel propria Civium Romanorum Inst. Tit. De Patr. potest. §. 2. L. 3. ff. De his qui sui vel alien. jur. Ex eo falso principio inhumanae & barbarae consuetudines circa patriam potestatem, quae apud multas Gentes, et apud Romanos etiam valuerunt, qui filios tamquam mancipia habebant: quod quidem et ignorata ab iis principia circa Imperii originem arguit, et Civitatis perfectionem nec suspicatos eos esse manifeste indicat: ea enim tam late patens potestas Patribus tributa in filios cum publica auctoritate et summo Imperio in bene constituta Civitate consistere nul-

rantis, quam Patris tranquille & placide praecipientis ſunt juſſa.

VII. Quod jus fuerit apud nonnullas gentes filios recens natos exponere, vel neçare, vel eos quaſi mancipia & jumenta habere barbarum fuit, naturalique aequitati omnino contrarium (1).

VIII. Ceterum cum ſocietas coniugalis naturaliter aequalis ſit, Imperium in filios Patri matrique commune eſt, niſi aliter vel

---

lo pacto poteſt. Qui a patre gignitur et filius et civis eſt: filium pater regit, levique coercitione caſtigat, Civem ſummus imperans, eiuſque leges moderantur et tuentur.

(1) *Vid. Not. praeced. Execrationem merentur quas* Hobbelius *de Patria poteſtate edixit Leges. Apud eum recens natus filius ſub abſoluto Matris imperio eſt, quia vel partum abiicere, vel vix natum enecare potuiſſet. In Matrimonio autem et mater ipſa eiuſque jura omnia viro ſubiiciuntur, quia vir femina potentior validiorque, atque adeo ipſi facultas eſt & necare, & vendere & in perpetuam captivitatem filios tradere. Quid durius acerbiuſque, quid abſurdius & inhumanius excogitari poterat? De Cive Cap. 9. §. 2. Leviath. Cap. 20. pag. 100.*

- pactis vel Legibus cautum sit, utriusque enim Parentis ope, industria, diligentia, praesidio indigent impuberes filii (1).

IX. Imperii obiectum utilitas parentium, ergo si quando aliquo doloris sensu filii ab inobedientia, & vitiis retrahendi, poenae emendatrices & leves sint oportet, non crudeles, non corpori aut valetudini natorum damnum inferentes, quippe parentum officium diximus ut felicitatem liberorum quantum in iis est promoveant, ad quam consequendam maximi bona corporis valetudo facienda: uno verbo nimia saevitia, & indulgentia vitanda, utraque enim filios corrumpit.

---

(1) Jure Romano nulla erat Matri in filios potestas, quamvis Ulpianus *aliquam ei potestatem concedere videatur L. 4. ff. De Curatorib. furios. et aliis. Recte tamen est apud eos constitutum ut si Pater incertus sit, aut is quem habere legibus non liceat, Filius matrem sequatur L. 23. ff. De stat. hom. et ut Patre inope aut mortuo filii egeni alantur a matre opulenta Novell. 17. Cap. 7. L. penult. et L. 5. §. 4. ff. De Agnosc. et alend. L. 11. Cod. De Jure Dot.*

X. Si amor & benevolentia erga omnes homines naturali Lege praecepta, quanto magis liberorum amor erga Parentes, cum quibus arctiſſimis ſanguinis & beneficiorum vinculis ſunt devincti? Quamvis enim aliquando negligentiores Parentes fuerint in educandis liberis, attamen maxima in ipſis vitae primordiis, & incunabulis collata beneficia ſunt, quibus gratiae nunquam ſatis rependendae. Ex benefactis igitur Parentum ratio deducenda eſt cur liberi jubeantur eos amore & honore proſequi, & in pretio habere; haec enim officia ex nudo generationis facto derivari non poſſe arbitror. Itaque multoties filiorum impietas, de qua tot Parentum querelae, ipſorum Parentum culpae tribuenda, quorum negligentia & ſocordia ſerius ocyus ab adultis liberis non ſine animi dolore detegitur. Quiſquis magni fieri vult, magni reipſa ſit oportet: odium homines compeſcere poſſunt, amorem excitare etiam volentes non queunt, quippe amor intimus ſenſus eſt, ſive animi interna modificatio, quae a rerum externarum ſtatu erga nos omnino pendet. Attamen bene morati filii vim quodammodo ſibimet infe-

rant aequum eſt, nec unquam Parentibus debitam excutiant reverentiam, aut minimam illis creent moleſtiam, licet vel rem familiarem negligentius adminiſtraverint, vel aſperius difficiliuſque quam par erat cum ipſis egerint; nunquam enim pietas filialis exuenda ſi id fieri poſſit ſine extrema aut familiae, aut Patriae ſuae pernicie, tum quod & plurima & maxima ſunt etiam a negligentibus improbiſque Parentibus beneficia in filios collata, tum quod univerſae hominum ſocietatis intereſt ut felicibus auſpiciis ſoboles propagentur, quae efficiant ut genuiſſe juvet, & generare libeat.

§. 2. *Ex mutuis Parentum, et Liberorum Officiis Corollaria.*

I. Si eo quod diximus amoris & benevolentiae arctiſſimo vinculo filii erga Parentes coniunguntur, ſequitur Parentes ceteris omnibus praeferendos in praeſtatione officiorum humanitatis *(1)*; iniquiſſimum

(1) Quae quidem recte a Civilibus Legibus in perfectam obligationem converſa ſunt. Parentes enim inopes alendi in genere a fi-

enim quis merito dixerit patrem vel matrem egere, cum filius ſit in facultatibus.

II. Dubitari tamen poſſet an in colliſione officiorum Parentes etiam uxori & filiis praeferendi ſint, quod nos in genere negandum eſſe cenſemus his innixi argumentis: in colliſione felicitas propria in genere alienae eſt praeferenda: in colliſione res potius propriae, quam alienae ſervandae; atqui felicitas propria in genere magis a conſervatione familiae ſuae, quam alienae pendet, ergo in colliſione familia propria paternae familiae eſt praeferenda. Quod ratio ſuadet natura ipſa confirmat; homines enim ad amorem filiorum caeco impetu feruntur, ad parentum amorem ratione non inſtinctu. Et revera qui novam inſtituit familiam facto quodammodo naturali promittit ſe liberos & uxorem ceteris omnibus in officiis praeſtandis praelaturum,

---

liis ſunt L. ult. §. 5. Cod. De Bonis quae liberis L. 13. §. 2. ff. De Adminiſtr. et peric. Tutor. L. 5. §. 1. 2. 13. 16. ff. De Agnoſcend. Liber.

familiam enim Patris deferit, neque amplius eam habere vult tamquam fuam. Diximus *in genere* id aequum effe, nam in fpecie fieri poteft, ut aliquando Pater fi non filiis, faltem uxori fit praeferendus; quod quidem facile eft oftendere iifdem argumentis, quibus contrariam fententiam adftruximus. Huc accedit quod cum Juris naturalis univerfalis regula fit, ut id aequum & juftum effe dicatur, quod Patriae fuae, quod univerfo hominum generi in collifione majus affert emolumentum, fieri poteft ut in emergente neceffitate & Legum collifione, Patrem non dicam uxori, fed & filiis ipfis praeferre, aliquando maximum fit & infigne virtutis & fortitudinis exemplum (1).

III. Cum Patris officium fit ea omnia agere, fine quibus filii fui educationem & perfectionem obtinere nequit, naturaliter eum alteri in adoptionem dare non prohibetur, fi id educationi & fortunae filii fit utile iis legibus, quas contrahentes ftatue-

(1) *Vid. infra* De Jure neceffitatis.

rint, quae tamen ultra pubertatem (1) filii, de qua infra dicemus, non durant; patriam enim poteſtatem in alium transferre non licet ultra id tempus quod eſt a naturali Lege definitum. Cum autem adoptio actus moralis ſit, nemo jure naturali filium filiamve adoptare prohibetur, dummodo is ſit qui adoptivi filii aſſumptam educationem perficere juxta naturalis Legis praeceptum poſſit (2).

---

(1) Diſcord. Romani Juriſconſulti, apud quos Filius ſub patria erat poteſtate uſque ad obitum Patris niſi emanciparetur, aut legum efficacia liber factus eſſet. Vid. Inst. Tit. Quib. mod. jus patr. potest. ſolv.

(2) Diſcord. Rom. Leges in §. 4. et 9. Instit. Tit. De Adopt. L. 17. §. 3. ff. eod. per quas adoptare prohibetur qui plena pubertate non antecedat adoptatum, idest decem et octo annis, aut ſit in univerſum ad generandum inhabilis. Item adoptare non potest femina, aut qui liberos habeat in legitimo matrimonio progenitos, niſi beneficium Principis accedat, aut aliud graves cauſae ſuadeant. Quae quidem licet non improbanda nullo tamen naturalium Legum innituntur fundamento: quod enim ajunt Adop-

§. 3. *De Peculio*.

Quamvis obligatio Parentibus impoſita ſit ut propriis impenſis alant & educent liberos, attamen ſi nonnulla quae a Parentibus praeſtanda eſſent, ipſi per ſe conſequi poſſint, obligatio ceſſat ſaltem pro ea parte, qua ſe liberi exhibere poſſunt (1) praeſertim ſi neceſſitas id expoſtulet, nec ullum educationi detrimentum afferatur. Inde Jus Parentum in operas liberorum tam obſequii quam miniſterii; alterae enim pietatis ſunt, alterae Juſtitiae.

Quapropter bona quae fortaſſe filio ſub poteſtate Patris conſtituto aliunde obvenerunt, puta ex Teſtamento, Donatione &c. naturaliter ſunt in uſufructu Patris,

---

tionem naturam imitari in genere falſum est; quippe adoptator loco Patris habetur non quod ad generationem, ſed quod ad obligationem filii alendi et educandi, quae ſimul cum patria potestate in eum translata est; ad educationem autem perficiendam nil facit vel generandi impotentia, vel adoptantis ſexus, vel legitimi filii ſuperstites.

(1) Concord. L. 5. §. 7. ff. De Agnoſcend. et alend.

quatenus tamen iis utitur ad educationis exigentiam, ſunt autem in dominio filiorum, atque adeo a Parentibus adminiſtrari, non vendi non oppignorari (1) poſſunt, niſi fortaſſe actus iſtiuſmodi in manifeſtam liberorum utilitatem vergant, quae quidem una paternae poteſtati fines praeſcribit. Civiles igitur ſunt tam veteres quam novae Romanorum de peculio Filiorum Leges, licet recentiores quae deinceps a temporibus Julii & Auguſti latae ſunt ad Jus naturae propius accedant (2).

---

(1) Concord. L. 4. et 6. Cod De Bon. quae liber. L. 2. Cod. De Bon. Matern. Nov. 22. Cap. 24.

(2) Dum stetit Rom. Reſpublica omnia ſine exceptione Parentibus acquirebant filiifamilias tamquam ſervi. Summa rerum ad Caeſares delata, et imminuta paulatim patria potestate, filiorumfamilias peculium diviſum est in militare et paganum, alterum quod Castrenſe, et quasi Castrenſe dictum est proprium filiorum eſſe placuit ut de eo ſtatuere poſſent ex ſententia Inst. Tit. pr. Quib. non est permiſs. fac. test. L. 1. §. 15. ff. De Collat. L. 2. ff. De Senatusconſult. Macedon. Vid. L. 11. ff. De Caſtr. pecul. L. 1. Cod. eod. L. ult. Cod. De

Jus autem paternum in bona filiorum naturaliter cessat simulac ad eam aetatem pervenerint, qua possint & ea recte administrare & fructus colligere, eosque ad usum vitae juxta naturalis Legis praescriptum convertere: quin etiam si summum naturae jus spectes, ratiocinia administrationis reddere Parentes deberent, a quibus tamen ut eximantur pietatem filiorum decet.

---

inoff. Testam. L. 4. & 14. Cod. De Advocat. divers. Jud. Alterum vero, quod in profectitium & adventitium dividebatur, filiis proprium concessum, solo usufructu Patri relicto. §. 1. Inst. Tit. Per quas Person. cuique acquir. L. 4. & 6. Cod. De Bon. quae liber. Haec tamen omnia fere ubique in desuetudinem abierunt, nam apud multas Gentes & adventitia omnia, & castrensia & quasi castrensia filii sibi non patri in solidum acquirunt, servata tantum ex aliqua parte antiqui Juris dispositione in peculio profectitio, ad quod commode reducitur quidquid filii in familia patris constituti, eiusque innutriti impensis vel suis operis, vel ex re patris lucrantur. Id itaque Parentibus cedit potius ob alimentorum compensationem, quam ex antiquo Patriae potestatis jure.

§. 4. *Quandonam ceſſet Patria poteſtas.*

Statim ac liberi ad moralem pervenerint pubertatem, ſcilicet cum naturalibus Legibus actiones proprias conformare & probe intelligunt & poſſunt ſine ope parentum, finitur patria Poteſtas, eo enim tempore corruit omnino Paterni Imperii fundamentum (1).

Natura certos fines moralis & phyſicae pubertatis non ſtatuit, atque adeo in civitate ab arbitrio Legumlatorum pendent. Apud nos natura, non parentum voluntas, non Lex filios emancipat & a patria liberat poteſtate; cum enim pubertatis moralis annos attigerunt perfecti homines ſunt, nullaque alia Lege quam naturali diriguntur. Uno verbo ſi nulla Patris ope indigeant nati, nulla eſt etiam patria poteſtas. Non tamen ab obſequio, reverentia, ceteriſque naturalibus erga Parentes officiis liberantur filii ſui juris facti, ea enim immobilia ſunt

---

(1) Id veluti corollarium §. 3. *n.* 5. *aſſumi poteſt, nec demonſtratione indiget.*

& perpetua, quandoquidem maximis beneficiis nulla par gratia nisi perpetua.

Si quis tamen maturo consilio pollens, & viribus corporis praestans, attamen in familia Patris immorari velit, & ex paternis innutriri bonis quamdam quasi contrahit societatem, cuius obiectum est, ut collatis viribus familiae felicitas promoveatur, in quam si adsciscі velit filius jam puber factus, iis legibus obtemperet oportet, quas societatis caput, sive Pater constituerit, quas si infringat filius Patri jus esse eum a societate expellendi ex supra positis principiis facile deducitur. Ne Leges tamen in familia constituantur, quae societatis consilio, atque adeo sociorum omnium felicitati adversentur Lex naturalis jubet. Inde factum est ut in Civitate mutua officia inter Parentes & liberos in eadem familia degentes certis legibus definiantur, ut Civitatis germina, quae in privatis familiis quasi in seminario conseruntur & crescunt, publica auctoritate protecta, in firmas adolescant plantas, quae in Civitatem translata fructus edant ad communis boni emolumentum.

Filia igitur nubens a paterna poteſtate omnino eximitur tum quod maturum eius conſilium ipſae nuptiae demonſtrant, tum quod paterna ope non indiget, cui viri ſui communia ſunt bona, tum quod non ad paternum arbitrium, ſed juxta coniugalis ſocietatis leges actiones ſuas determinare debet. Mortuo viro ſoboles eſt ſub imperio matris, non avi paterni, quod omnino civile eſt (1).

§. 5. *De Tutela.*

I. At ſi eveniat ut liberis nondum ad pubertatem moralem deductis ambo Parentes decedant vel ob quamcumque cauſam educare filios non poſſint, Tutelae fit locus. Eſt autem Tutela obligatio naturalis educandi alienos liberos impuberes ex generali officiorum lege erga alios deſcendens. Impuberes filii parentibus orbati *Pupilli*, qui eorum curam ſuſcipiunt *Tutores* dicuntur, quaſi tuitores & defenſores (2). Obligatio naturalis univerſos homines comple-

---

(1) *Vid.* §. 3. *Inſt. Tit. De Patr. poteſt.*
(2) §. 2. *Inſt. Tit. De Tutel.*

ctitur, ergo educatio impuberum ad omnes homines aeque ſpectat (1). Si generali obligationi ſpecialis aliqua accedat, arctiori obſtringuntur homines vinculo: ad officia praeſtanda humanitatis tenentur omnes, ſpecialius cognati inter ſe generatim obligantur, ergo ſi cognati velint in tutela praeferendi, non tamen cogendi jure naturae (2)

II. Quia tamen beneficium nemini invito obtrudendum, ſi pater decedens Tutorem deſignaverit, atque is demandatum munus acceptet, obligatio cognatorum ceſſat, atque adeo jus ad tutelam, praeſumitur enim Pater liberorum utilitati & fortunae abunde conſuluiſſe (3).

---

(1) *Vid.* §. *pen. Inſt. De Attilian. Tutor. L. pr. ff. De Minor.*

(2) *L.* 1. *pr. ff. De Legit. Tutor. L.* 6. *ff. eod. L.* 1. *Cod. eod. Inſt. tot. Tit. De Legit. agnat. tutel.* Grotius *Lib.* 2. *Cap.* 22. §. 12. *aſſerit infantium tutelam natura eſſe nullius, & cedere occupanti & idoneo.*

(3) *Exinde teſtamentaria tutela Legibus confirmata ſi modo ſupremum defuncti judicium perfectum fuerit L.* 2. *&* 3. *Cod. De confirm. Tut. L.* 27. *&* 31. *ff. De Teſt. Tutel.*

III. Et cum tutela beneficium ſit, atque adeo imperfecte debitum, in ſtatu naturae nemo ad tutelam ſuſcipiendam cogi poteſt. Expedit tamen in Civitate ut quod imperfecte debetur, perfecte debitum lege jubente fiat *(1)*.

§. 6. *De mutuis Tutorum et Pupillorum officiis.*

I. Tutelae obiectum educatio, nulla educatio ſine imperio ſaltem patrio; ergo Tutori competit in pupillum Jus patriae poteſtatis, atque adeo pupillus Tutori omnia officia debet, quae patri.

II. Tutela beneficium eſt; ergo Tutor non aere proprio impenſas educationes facere tenetur, ſed ex bonis Pupillorum ſi habeant,

(1) *Huic rationi accepta referenda tutela dativa a Romanis introducta, & quae apud Gentes fere omnes valet; intereſt enim Reipublicae ut pupilli & recte educentur, & ab improborum defendantur inſidiis. Vid. Tot. Tit. ff. De Tutor. & Curat. & Tit. Qui pet. Tut. & Cur. Quapropter aequum eſt, ut tutela muneribus publicis accenſeatur, nec multi ſint qui ab eo munere obeundo excuſari poſſint.*

habeant, si vero iis careant officio suo functus est si pupillos in actibus beneficis praestandis ceteris omnibus anteponat (1)

III. Nemo laedendus generali Legis praecepto, & cuiusque status internus & externus perficiendus. Ad haec omnia Tutor tenetur erga Pupillos speciali obligatione; facto enim proprio cum iis contraxit, & pupillorum consensus in re utili praesumitur. Hinc solicitudo Tutorum circa bonorum administrationem, educationem &c. derivatur. Uno verbo, quae agenda vel non agenda sint a Tutoribus circa res & personam Pupilli ab una Pupilli utilitate praescripta sunt & definita (2).

(1) *Concord. L. 3. pr. ff. Ubi Pupill. educ. l. 2 Cod. De Aliment. pupill. praest. L. 3. ff. De Administr. & peric. Tutor.*

(2) *Hac regula innituntur Leges omnes, quae in Titulis Pandectarum praecipue congestae sunt De Auctor. & consens. Tutor. De administr. & peric. Tutor. De reb. cor. qui sub tutel. &c. in quibus peculiaria in multis casibus officia Tutorum definiuntur, et poenae ipsis impositae ni utiliter gerant*

IV. Quapropter ſi quid agant Tutores, quod in utilitatem pupillorum non vergat, ipſo jure nullum. Si factum igitur infectum fieri poſſit, res & jura ſua Pupillus maior factus, reſtituto pretio vel eo quod intereſt, vindicabit; ſi de facto tranſeunte agitur, Tutor damnum illatum reparabit (1).

V. Hinc fit ut bona Tutoris naturali-

Pupilli negotia, quae particulatim exponuntur. Eae tamen Leges vel Juris Romani ſunt omnino propriae, vel a Regula deſcripta pendent.

(1) *Hinc apud Romanos in alienat. immobil. Decretum Judicis requirebatur, quae Lex apud multos & noſtris temporibus valet. Vid. Interpr. ad Tit. ff. De rebus eor. qui ſub tutel. Eodem Rom. Jure competit pupillo & haeredi eius Actio directa Tutelae, cuius obiectum illud eſt ut pupillo & res ſuae praeſtentur, & quod intereſt, ſeu damnum quod evenit, & lucrum quod ceſſavit ex eo quod a Tutore ex officio geſtum non eſt L. 1. pr. ff. De Tutel. & Ration. diſtr. L. 4. & 7. Cod. Arb. Tutel. Tutor enim de dolo, lata, & levi culpa tenetur L. 1. pr. ff. De Tutel. & rat. diſtr. L. 23. ff. De Regul. Jur. L. 7. Cod. Arbitr. Tutel.*

ter obligara ſint pupillo, niſi aliter Leges de Pupilli indemnitate caverint *(1)*.

VI. Quae de Tutoribus diximus ea de Curatoribus etiam intelligenda ſunt, qui jus habent adminiſtrandi bona minorum, vel eorum hominum, qui ob vitium mentis vel corporis rebus ſuis ipſimet praeeſſe nequeunt.

VII. Cum tam Tutela, quam Cura ob id a naturali Lege praecepta, ne ii quorum nondum maturum conſilium eſt detrimentum in ſtatu interno vel externo patiantur, ſequitur obligationes Pupillorum & minorum invalidas eſſe niſi Tutorum aut Curatorum auctoritate & conſenſu firmen-

K 2

(1) *Concord. L. un. §. 1. Cod. De Rei uxor. action. L. 20. Cod. De Adminiſtr. Tutor. L. 7. § 5. in fin. Cod. De Curator. Furioſ. vel prod. Nec eorum bona a tacita Hypotheca liberantur niſi poſtquam ad finem perductis negotiis illis, quae durante adhuc impubere aetate inchoata erant, finita tutela rationem reddiderint L. 5. §. 6. L. 7. §. 1. ff. De Adminiſtr. & pericul. Tutor. L. 13. ff. De Tutel. & rat. diſtr. L. 10. ff. De ſuſpect. Tutor.*

tur. *(1)* Si tamen actus eorum in propriam vergant utilitatem ratio invaliditatis ceſſat (2).

VIII. Qui Tutelae finem & obiectum ob quodcumque vel phyſicum vel morale impedimentum conſequi nequit naturaliter a Tutela excluditur *(3)*.

---

(1) *Concord. tot. Tit. ff. De Auctorit. & conſenſ. Tutor. In Civitate tamen, ubi aetas pupillaris ultra moralem pubertatem extenditur non ambigitur Pupillum ſi non civiliter, ſaltem naturaliter obligari, & ab eo fidem ſervandam ſi maturo conſilio, nullaque fraude aut calliditate deceptus obligationem contraxerit, quod quidem & Romanae Leges tamquam aequitati naturali conſentaneum admittunt L. 1. §. 1. ff. De Novat. L. 44. ff. De ſolut. L. 25. §. 1. ff. Quando dies leg. ced. L. 21. pr. ff. Ad Leg. Falcid. Quapropter & pro Pupillo valide Fidejuſſor intervenit L. 95. §. 4. ff. De ſolut. L. 35. De Recept. qui arbitr. recep. L. 127. ff. De verb. obligat.*

(2) *Concord. Princip. Inſt. Tit. De Auct. Tutor. L. 9. pr. ff. eod. §. 9. Inſtit. De Inutil. ſtip. L. 1. §. 3. ff. De Acquir. vel amitt. poſſeſſ. L. 11. ff. De Acquir. rer. dom.*

(3) *Vid. Nov. 94. Cap. 1. L. 10. §. ult. ff. De Teſtament. Tutel. L. 4. Cod. Qui dare Tutor. L. 7. §. 1. ff. De Teſtament. Tutel.*

IX. Cum Tutor Patris vicem gerat patet officio suo iam functum quo tempore patria cessat potestas, nempe cum Pupillus ad moralem pubertatem pervenerit.

X. Tunc ad ratiocinia reddenda tenetur *(1)* & ad damnum pupillo dolo vel

L. 1. §. penult. & ult. L. penult. ff. De Tutelis. L. 40. pr. ff. De excusat. ubi recensentur qui jure Romano Tutores esse non possunt; quibus accensendi & suspecti Tutores, qui nempe vel non ex fide tutelam gerunt, vel non gesturi praesumuntur, cuius rei judicium in Civitate magis ad Magistratus arbitrium, quam ad Legum definitionem pertinet.

(1) Concord. L. 9. Cod. Arbitr. Tutel. L. 1. ff. De Tutel. L. 7. §. ult. ff. De Administr. & pericul. Tutor. L. 5. ff. eod. L. 3. §. 7. ff. De contr. tutel. & util. act. Itaque naturali rationi consentanea Romana Lex, quae jubet ne quidquam geratur aut attingatur ex rebus pupillaribus ante inventarii seu repertorii descriptionem L. 7. pr. ff. De Administr. & peric Tutor. L. 24. Cod. eod. L. ult. §. 1. Cod. Arbitr. Tutel. Novell. 94. in epilog. quae quidem adeo necessaria est, ut nec a Patre Tutori remitti possit, Praetor

culpa datum reparandum, tum quod omnes homines ad id praeſtandum aliis obligantur, tum quod Tutores ſpeciali obſtringuntur erga Pupillos vinculo.

XI. Et quia nemo locupletior fieri debet cum aliena jactura ut impenſas omnes utiles Tutorum pupilli reficiant Lege naturali jubentur (1). Haec omnia & de Curatoribus intelligantur oportet.

§. 7. *De Dote.*

Quidquid uberrime circa dotem diſſeritur vel ad Leges civiles ſpectat, vel ad mutuas promiſſiones, & pacta quae accedere poſſunt coniugali ſocietati, ex cuius

---

enim, *inquit* Tryphoninus, *ſequitur Pupillorum utilitatem, non ſcripturam Teſtamenti L.* 10. *ff. De Confirm. Tut. Et quidem merito pupillorum utilitati eo pacto conſultum eſt, ceſſante enim Inventarii neceſſitate nec ratio constare poteſt, nec interverſioni & ſuppreſſioni rerum pupillarium ullo alio pacto occurri poſſe manifeſte patet.*

(1) *Concord. L.* 1. §. 4. *ff. De contr. Tut. & util. act. L.* 1. *pr. &* §. 4. 5. *&* 9. *ff. De Tutel. & ration. distr. L.* 3. *Cod. De Administr. Tutor.*

natura cum bona omnia tam viri quam uxoris & fructus ipsi, quos utrique afferre possunt, operae propriae tam artificiales quam industriales invicem communicentur, & utriusque impensae communes sint ad prolem alendam, educandam, perficiendam, si qua maternis bonis jura singularia sint constituta, ea vel pactis vel Legibus accepta referenda omnino sunt.

Introductis tamen dominiis ut Parentes Filiae nubenti aliquid proprium constituant, vel ut habeat unde cum Coniuge onera matrimonii sustineat, vel mortuo Coniuge vitam sustentare possit, maxime decet; Reipublicae enim interest, inquit *Paulus* Jurisconsultus, mulieres dotes salvas habere propter quas nubere possunt (1).

Id tamen nec vir, nec filia ei nubens per vim exigere naturaliter possunt, quippe Parentum officium conditionale atque adeo imperfectum est, & arbitrio eorum relin-

(1) L. 2. ff. De Jur. Dot. L. 18. ff. De Reb. auct. Jud. possid. L. 1. ff. Solut. Matr.

quendum an Dotem velint nubenti filiae conſtituere. Quin tantum abeſt quod Dotis conſtitutio ſit naturali Lege praecepta, ut adhuc ſint Gentes apud quas vir pretium patri ſolvit, ut ſibi liceat eius filiam uxorem ducere. Lex tamen civilis impenſe laudanda, quae officium Parentum imperfecte debitum ad perfectam redigit obligationem, ad Civitatis enim propagationem, perpetuitatem, & potentiam matrimonia pertinent *(1)*.

Si igitur nova nupta marito nomine

---

(1) *Jure Rom. Pater etiam invitus cogitur dotem dare filiae nubenti L. ult. Cod. De Dot. promiſſ. L 6. ff. De Collat. L. 19. ff. De Rit. Nuptiar. Eodem pacto dotem dare coguntur interdum Avus paternus, Frater germanae ſorori & conſanguineae, et aliquando etiam mater ex bonis propriis cit. L. 6. De Collat. L. 14. Cod. De Jure Dot. Argum. L. 12. §. 3. ff. De Administr. et peric. Tutor. A naturali vero aequitate omnino alienum est ut Pater etiam mediocris fortunae filiam locupletem dotare cogatur L. ult. Cod. De Dot. promiſs. L. 69. §. 4. ff De Jure dot. Vid.* Jo. Vict. Bandau. *Diſſert. De Dote Filiae locuplet.*

Dotis bona propria afferat nulla intercedente conventione, quid juris sit ex societatis coniugalis natura facile eruitur, si de Dote paciscantur inter se, aut in Civitate Leges aliquid constituant, uti inter coniuges convenit, vel uti Leges praeceperunt (1), ita jus esto.

---

(1) Jure Romano sublata est naturalis inter coniuges bonorum communio, quae tamen apud multas gentes valet, et rerum dotalium tantum ususfructus concessus marito ad sustinenda onera matrimonii; atque adeo jura et obligationes mariti circa Dotem iis regulis facile ponderantur quas supra posuimus cum de Possessore bonae fidei, et usufructu dictum est; maritus enim non differt a fructuario, cui jus utendi fruendi rebus dotalibus competit salva substantia. Quapropter si pecunia numerata vel res mobilis aestimata in dotem data sit dominium plenum in maritum transferatur necesse est, nullo enim alio pacto ex re dotali fructum percipere posset, nisi ipsi jus esset rem per se sterilem in fructiferam convertere. Non idem dicendum de re immobili aestimata, nec enim aestimatio venditionis loco statim haberi potest, et quid sibi voluerint coniuges ex pacto dotali deducendum. Vid. L. 10. §. 5. L. 14. 15. 16. 17.

§. 8. *De Teſtamentis*.

Expoſitis mutuis eorum officiis, qui in eadem familia degunt, de Teſtamentis dicendum, iis enim familiae felicitati & ſuſtentationi conſulitur.

---

§. 1. *L. 25. ff. De Jure Dot. L. 18. L. 69. §. 7. et 8. ff. eod. L. 11. ff. De Fund. Dotal. L. 50. et pen. ff. Solut. Matrim. Itaque ſi maritus tamquam fructuarius juxta Romanorum conceptum aſſumatur, facile quidem intelliguntur quae abunde docent Juriſconſulti in titulis ff. De Jure Dotium, de Pactis dotalibus, de Fundo dotali, de Dotis restitutione ſoluto matrimonio, et de paraphernalibus et receptitiis uxoris bonis, quae nempe nomine dotis marito data non ſunt, atque adeo uxoris propria eſſe debere constat. Vid. L. 9. §. 3. ff. De Jur. Dot. Ceterum ſi jus Naturae ſpectes cum numerata pecunia, vel aestimata res venditionis loco marito nomine dotis data est, atque adeo rei dotalis dominium in eum translatum, ut uxori tacita hypotheca in maritalibus bonis acquiratur a die constitutae Dotis aequum est, non autem ut ceteris etiam Creditoribus qui tempore anteriores ſunt et jure potiores praeferatur, quod tamen Romana Lege statutum est L. 17. §. 1. ff. De Reb. auct. Jud. poſſid. L. 14. ff. De Jur. dot. L. ult. Cod. qui pot. in pign. et hypoth.*

I. Itaque si huc revocentur quae de origine proprietatis, & de Juribus quae ex ea ortum ducunt alibi diximus, nulla suborietur dubitatio an Jure naturae liceat Testamentum condere; ea enim est proprietatis vis & natura, ut bona quae juris privati facta sunt ad communionem primitivam redire nequeant nisi domini expresso aut tacito consensu, qui jus suum in alium transferre quibuscumque appositis conditionibus potest. Si velit igitur quod proprium habet ita in alium transferre, ut translationis acceptatio fiat post mortem suam quamnam naturae Legem violabit? At ut valida promissio vel donatio sit, aiunt nonnulli, synchrona debet esse acceptatio, at non video cur quis & promittere & donare valide non possit ea conditione ut donatio vel promissio valida sit simulac acceptatur etiam antequam acceptationis notitia ad donantem vel promittentem pervenerit (1), atque adeo cur dominium rei suae in alium

(1) *Vid. supr.* *P.* 1. *Cap.* X. §. 9. *pag.* 292.

transferre non poſſit ea conditione, ut haeres translationem poſt mortem acceptet, quiſque enim poteſt translationi rerum ſuarum conditionem quam voluerit apponere (1).

Aiunt etiam Teſtamentum per ſe nullum, quod nihil juris in haeredem transferat cum ſit ad nutum conditoris revocabile, quod tamen falſum eſt; quamvis enim voluntas mutabilis ſit, attamen cum fieri poſſit ut non immutetur, jus haeredis deſignati hypotheticum quidem eſt, attamen jus dici poteſt, quod utilitatem aliquam habet adnexam: nam quiſque licet probe noverit fore ut Teſtamentum revocetur, ta-

---

(1) *Qui aſſerunt acceptationem ſynchronam eſſe debere cum translatione juris nullum ſententiae hujuſmodi aſſerunt argumentum, parumque ſibi constare videtur* Pufendorfius *qui postquam affirmavit validam eſſe promiſſionem aut donationem quam quis acceptavit post mortem Promittentis, Testamenta non valere pronunciavit Jure Naturae quod translatio juris ſynchrona eſſe debeat cum acceptatione. Vid. Lib.* 3. *Cap.* 6. §. 15. *et Cap.* 9. §. 4. *Lib.* 4. *Cap.* 10. §. 6. *ſub fin.*

men haeres ſcribi vellet, & ſpem ſaltem, & jus, ut aiunt, eventuale acquirere; quod ſane in multis vitae conditionibus tamquam pretio aeſtimabile emitur venditur, & cum pecunia permutatur, uti ſupra de contractibus aleam continentibus docuimus *(1)*.

Quod autem attinet ad Teſtatorem, actus per ſe perfectus eſt niſi voluntatem immutet, quapropter acceptatio tunc fieri debet cum voluntas immutabilis eſt, nempe poſt mortem. Non recte igitur judicaſſe videntur qui docent contra naturam eſſe ut qui jam deceſſit de rebus ſuis ſtatuat, nam reipſa dum viveret de iis ſtatuit, & bona ſua omnia in alium tranſtulit ea conditione & ut translatio eſſet revocabilis, & ut non acceptaretur niſi poſt mortem (2).

---

(1) *Vid. P. I. Cap. XI.* §. 22.

(2) *Vid.* Coccejum *De Testam. Princip.* Budd. *Select. Jur. Natur. et Gent.* Leibnitz. *Nov. method. Juriſprud. Lib.* 2. *Cap.* 2. Barbeyr. *ad* Pufend. *Lib.* 4. *Cap.* 10. §. 2. *qui omnes ſententiae noſtrae ſubſcribunt. Contrariam ſententiam amplexi ſunt* Pufend. *loc. cit.* Bynkershoek *Obſerv. Jur. Rom. Lib.* 2.

Itaque expreſſa declaratio voluntatis noſtrae de translatione dominii rerum noſtrarum, & de iis, quae fieri volumus poſt mortem ea conditione ut acceptatio poſt ipſam mortem fiat, dicitur *Teſtamentum*.

Tunc igitur Teſtamentum validum eſt cum voluntas ſit immutabilis.

Dummodo de voluntate Teſtatoris manifeſte conſtet, Teſtamentum validum eſt, atque adeo Teſtamentorum ſolemnia civilia omnino ſunt, & juxta locorum & temporum conditiones mutabilia. De alterius

---

Cap. 2. Gundlingius *Jus Nat. ac Gent. Cap.* 20. §. 52. Heineccius *Elem. Jur. Natur. et Gent. Lib.* 1. *Cap.* 10. §. 286. *qui docet per pactum tantum inter vivos translationem rerum nostrarum fieri poſſe; jus dat tamen transferenti ut sibi poſſeſſionem, dominium, et uſumfructum reſervet, aut etiam jus revocabile transferat. Non video in quo translatio istiuſmodi differat a Testamento, in ea enim acceptatio ſynchrona est et expreſſa, actus tamen est revocabilis*, Heineccio *fatente, in hoc autem et actus est revocabilis, et acceptatio legitime praeſumitur. In quo autem differt legitime praeſumpta acceptatio a vera et expreſſa?*

voluntate constare nisi per testes aut scripturam potest, ergo Testamentum naturaliter est vel nuncupativum, vel in scriptis.

§. 9. *De Haeredis officiis & juribus.*

Is apud quem rerum suarum dominium est, habita ratione jurium & obligationum, quae ex dominio ortum ducunt, haberi potest tamquam persona moralis, de qua jura & obligationes illae praedicantur. Cum igitur quis transfert in alium dominium rerum suarum, personam quodammodo hanc moralem exuit, eaque induitur, sive eius personae vicem gerit qui translationem acceptat. Nova haec Persona moralis, quae transferentis Domini personam repraesentat quod ad jura tantum & obligationes, quae ex dominio ortum ducunt *Haeres* dicitur, universitas autem rerum translatarum *haereditas*. (1)

§. 10. *Ex haeredis natura & indole consectaria.*

I. Haeres igitur quisque fit statim ac

(1) *Concord. L. 6. ff. De Reg. Jur. L. 24. et 208. ff. De Verb. Sign.*

facto vel verbo translationem acceptavit (1).

II. Cum haeres perſonam defuncti repraeſentet tantum quod ad bona relicta, atque exinde derivantia jura & obligationes, ſequitur jura & obligationes perſonales (2) ad haereditatem non pertinere.

---

(1) *Quapropter idem tam aditionis, haereditatis, quam geſtionis pro haerede effectus §. 7. Inſtit. De Haered. qual. L. 20. pr. ff. De Acquir. vel amitt. haered. L. 1. Cod. De repudiand. vel abſtinend.*

(2) *Niſi tamen obligationes perſonales in reales reſolvantur, ut ecce ſi defunctus alicui damnum dolo vel culpa ſua dederit, cum enim teſtator deliquit, vel quaſi delicto damnum dedit, jam caepit debere, atque adeo debitum in haeredem transfertur. Quapropter merito et Canonico Jure eſt jus antiquum Romanorum emendatum, et in foro moribus fere ubique receptum, ut ei qui ex dolo defuncti contrahentis, vel delinquentis laeſus eſt adverſus haeredem in ſolidum ad indemnitatem actio detur. Vid. §. in fin. Inſt. De Perpet. et temp. Action. L. 1. pr. ff. De privat. delict. L. 111. §. 1. ff. De Regul. Jur. §. 9. Inſt. De Leg. Aquil. ubi ex dolo defuncti tunc tantum haeres damnatur, cum vel lis cum ipſo defuncto fuerit*

III. Et quia tantum juris acquirit haeres in bona relicta, quantum defunctus habebat, si aes alienum aequiparat haereditatis universitatem, jus haeredis est nullum, quippe quod a respondentibus obligationibus extinguitur. Si bona omnia exhausta sint Persona moralis, quae defunctum quod ad bona repraesentat, evanescit, & jura & obligationes omnes expirant. Naturaliter igitur nullus haeres ultra vires haereditatis tenetur (1). Ut autem constet an jura omnia haeredis ab obligationibus extinguantur, naturaliter si haereditas aere alieno gravata

---

contestata, vel aliquid lucri ad eum ex defuncti dolo pervenerit. L. 23. §. 8. *ff. Ad Leg. Aquil.* L. *unic. Cod. Ex delict. defunctor.*

(1) Discord. L. 119. *et* 178. §. 1. *ff. De Verb. signif.* L. 3. *pr. ff. Ad* Leg. *Falcid.* L. 3. *pr. ff. De Bonor. possess.* L. 8. *ff. De Acquir. vel omitt. haered. ubi qui se haereditati immiscuerit, aut eam adierit interdum relinquendae facultatem amplius non habuit, & aeri alieno obligabatur etiamsi haereditas solvendo non esset.*

ſit Inventarium conficiendum omni culpae & doli ſuſpicione remota (1).

§. 11. *De Teſtatoris officiis*.

Id Lex Naturae praecipit ut quiſque de Dominio rerum ſuarum transferendo ita ſtatuat, uti officia exigunt.

Id eadem Lex praecipit ut liberi paternis impenſis alantur & educentur, eorumque felicitas quantum fieri poteſt promoveatur.

Si quaedam igitur bonorum pars ſive liberorum educationi, ſive felicitati promovendae ſit neceſſaria ea liberos privare pater jure naturae prohibetur.

Inde Jus pupillorum abſolutum ad ſucceſſionem in aliquam ex paternis bonis par-

---

(1) Vid. L. ult. Cod. de Jure deliber. qua jus antiquum eſt emendatum; ſi enim ſervatis ſolemnibus haeres rerum omnium haereditalium inventarium conſcripſerit in tantum Creditoribus tenetur in quantum res ad eum devolutae valeant. Civile tamen eſt ut ſi haeres Inventarium conficere neglexerit ultra vires haereditatis teneatur; nam ſi jus Naturae ſpectes, bonis defuncti exhauſtis, liberabitur, niſi forte negligentia ſua alteri damnum dederit.

tem donec ad eum ſtatum redigantur, quo poſſint juxta Legis praeſcriptum ſibi conſulere; eorum autem qui ad moralem pubertatem pervenerint jus eſt imperfectum; nam Patris judicio relinquendum an bonorum acceſſio aliqua verae liberorum felicitati allatura ſit emolumentum; quod quidem ut probe intelligatur huc revocanda ſunt quae ſupra de morali pubertate diximus. Si enim adhuc ope paterna indigeant liberi nec pubertatem moralem attigiſſe, nec a parentibus aliqua bonorum parte privari poſſe ſine piaculo manifeſte patet (1). In colliſione autem paternum eſt officium pupillos maioribus liberis anteferre, eorum enim indigentia eſt abſoluta, horum vero hypothetica.

Statuendum igitur videtur Parentibus abſoluto Naturae jure praeceptum eſſe, ut impuberibus filiis eam bonorum partem re-

(1) *Hoc innititur fundamento legitima pars haereditatis liberis relinquenda jure Romano introducta. Vid. L. 8. §. 8. ff. De inoff. teſtam. Nov. 18. cap. 1.*

linquant, quae ſaltem eorum educationi ſufficiat, puberibus vero hypotethica, nam obligatio conditionata eſt.

§. 12. *Ex Teſtatoris officiis conſectaria.*

I. Ergo nec Legata per ſe, nec ipſa exhaeredatio puberum liberorum naturali Legi adverſatur ſi intra fines ab ea praeſcriptos fiat (1).

---

(1) *Apud Rom. exhaeredatio expreſſam habere probatamque cauſam debet. Juſtae vero exhaeredationis cauſae, ob quas liberis querela inofficioſi Teſtamenti denegatur, recenſentur in Novell.* 115. *Cap.* 3. Chriſtianus Wolfius *Jur. Nat. P.* 8. §. 985. *contendit aſcendentibus & deſcendentibus ad mutuas inter ſe in bona relicta ſucceſſiones jus eſſe perfectum, ſpeciali enim ait devinctos eſſe obligatione ut alter alterius felicitatem promoveat. At cuinam ſtatuendum qua fortuna quiſque indigeat ad veram felicitatem aſſequendam? Nonne Teſtatoris arbitrio & judicio id relinquendum? At nec ſibi conſtat* Wolfius, *qui haec aſſerit, concedit enim & aſcendentes & deſcendentes legata in ſupremis tabulis ſcribere poſſe, quod tamen illicitum eſſet, cum Legatum ſit diminutio haereditatis, ad quam ex* Wolfii *ſententia inter aſcendentes & deſcendentes eſt jus perfectum.*

II. Haec facile ad eos qui Parentum loco ſunt, nempe ad maiores & aſcendentes referuntur, ad eos enim Tutela naturalis recidit, atque adeo officia omnia paterna.

III. Ex iis quae ſupra docuimus de liberorum & parentum officiis (1) ſequitur naturalem pietatem decere ut Pater in bona filii ſuccedat jure Naturae ſaltem hypothetico, ſi filius ſine liberis & uxore deceſſerit.

IV. Quapropter nec exhaeredatio parentum eſt abſoluto naturae juri contraria (2).

V. Igitur Parentis aut filii puberis praeteritione Teſtamentum jure naturae non rumpitur (3): ſecus ſi filius impubes praeteritus ſit a Patre, ſive ab iis qui loco Parentum ſunt.

---

(1) Cap. 17. §. 2.

(2) Diſcord. L. 15. *pr. ff. De inoff. Teſtam. L.* 7. §. 1. *ff. Si tabulae teſtam. null. Novell.* 1. *pr.* §. 2. *Citata tamen Novell.* 115. *Cap.* 4. §. 1. *indicantur cauſae ob quas licite & parentes a filiis exhaeredari poſſunt.*

(3) *Diſcord. L.* 1. 3. *&* 5. *ff. De inoff. Teſtam. Novell.* 115. *Cap.* 3. *&* 4. *pr. L.* 7.

VI. Si Parentum ad bona liberorum, liberis puberibus ad bona Parentum decedentium eft jus imperfectum, multo magis collateralium jus imperfectum erit quod ad fucceffiones inter fe. Id ratio naturalis fuadet ut in collifione beneficia conferantur iis, qui cum nobis & humanitatem habent communem, & fpeciali cognationis vinculo funt obftricti. Collaterales igitur praeferendi ceteris hypothetice, fi nempe diligentius naturalibus officiis functi fuerint, atque adeo potiori loco habendi fint quam ceteri homines.

§. 13. *De fucceffionibus ab inteftato.*

Hifce principiis innituntur fucceffiones ab inteftato, quae veluti teftamenta praefumpta haberi poffunt (1); ex eo enim quod

---

ff. De Liber. & pofthum. L. 16. §. 1. in fin. ff. De vulg. & pupill. fubftit. pr. Inft. De Exhaered. liber.

(1) *Illud hic loci animadvertendum eft quod fere ii omnes qui Teftamenta jure Naturae confiftere poffe negant, concedunt tamen naturali Legi effe confentaneum, ut is in defuncti inteftati bona fuccedat qui charior de-*

quis inteſtatus deceſſerit non legitime praeſumi poteſt bona ſua primo occupanti derelinquere voluiſſe.

Praeſumitur tamen legitime unumquemque officia etiam imperfecte debita exſequi voluiſſe, niſi contrarium manifeſte appareat. Itaque beneficentia eſt jure naturali praecepta: in beneficiis praeſtandis qui nobis ſpeciali vinculo obſtricti ſunt praeferendi ceteris, ergo inteſtatus praeferre voluiſſe praeſumitur eos cum quibus ſpeciali obligationis vinculo erat coniunctus, atque adeo eos qui ipſi chariores eſſent. Id etiam eſt humanae naturae apprime conveniens, quippe ſponte ferimur omnes ad rependenda beneficia ſi maxime officia humanitatis erga alios cum noſtris obligationibus amplius non collidantur; nec naturaliter prae-

functo fuerat, & quem ipſa veluti naturalis affectio ad ſucceſſionem vocat, ſic enim, ajunt, defunctus praeſumitur voluiſſe. Itaque plus valere putant praeſumptam quam teſtamento expreſſam voluntatem; quod quidem & ridiculum & abſurdum eſt.

ſumi poteſt eum qui deceſſit hominem non habuiſſe quem alteri praeferre vellet.

§. 14. *Principium generale de ſucceſſionibus ab inteſtato.*

Si quis inteſtatus decedat is in bona eius ſuccedat Natura jubet, qui defuncto charior eſt, & ad cuius felicitatem promovendam ſpeciali obligationis vinculo obſtringebatur (1).

At quis judicium feret, maxime ſi nullus ſit filius impubes, quem unum ad paternae haereditatis ſaltem partem aliquam jus habere perfectum diximus? Et ſi quis etiam ſit judex quinam hominem defuncto chariorem, & qui prae ceteris jus ad beneficentiam habeat, diſcernet? Neceſſe igitur eſt ut in Civitate Leges ſucceſſiones ab inteſtato regant & moderentur, quae ab aequitate naturali minimum recedere videbun-

---

(1) Exinde ſit ut multoties amicus qui maxima in nos contulit beneficia, perpetuoque nos amore proſecutus eſt cognato aut conſanguineo praeferendus eſſet Naturae Lege jubente.

tur si Legumlatores praesumant homines omnes officia naturalia expleturos fuisse, si potuissent, eumque praeferant in successione, quem Natura ipsa in beneficiorum praestatione praeferendum in collisione jubet. Id praestant pleraeque Romanorum de successionibus ab intestato Leges a quibus tamen pleraeque Gentes pro parte saltem recesserunt (1).

§. 14. *Ex principiis circa Testamenta positis consectaria.*

I. Cum igitur excepto filii impuberis jure quod ad bona parentum, nullus sit qui jus perfectum habeat ad alienam haereditatem, jure Naturae externo quisque poterit haeredem suum ex sententia in supremis tabulis scribere, eique quibuscumque conditionibus, non ultra tamen moralem aut physicam hominis facultatem (2), haereditatem deferre, atque adeo juris haereditarii fines a Testatoris voluntate unice cir-

(1) *Vid. Novell.* 112. *Inst. Tit. De Haered. quae ab intest. defer.*

(2) *Vid. tot. Tit. ff. De Condition. Instit.*

cumſcribuntur. Subſtitutiones tam vulgares, quam pupillares & quaſi pupillares, & ipſa Fideicommiſſa ad Teſtamenta conditionata commode referuntur. Haec quidem omnia Naturali Legi minime repugnant, a qua eſt proprietas introducta, unde jus derivatur transferendi in alium dominium iis conditionibus, quas dominus ipſe probavit.

II. Quod de Teſtamentis dicebam id & de Legatis intelligatur oportet, utraque enim ſunt donationes gratuitae, & iiſdem regulis ponderantur. Uno verbo uti Teſtator expreſſe voluit, aut legitime praeſumi poteſt voluiſſe, ita jus eſto.

Si tamen publicae ſaluti expedire videatur, in Civitate & voluntas ipſa Teſtatoris, & praeſumptio eius voluntatis certis limitibus definiri poteſt; decet enim ut ſummus Imperans lata lege caveat ne quis proprietatis jure abutatur in Reipublicae detrimentum & perniciem.

III. Quod ad haeredem attinet ſi is Teſtatori praemoriatur non jus haereditarium ad ſucceſſores transmittit, nec enim aliquod jus abſolutum ſine acceptatione acquiri, nec praeſumi poteſt Teſtatorem qui

te ſcripſit haeredem, & ſucceſſoribus tuis idem beneficium conferre voluiſſe.

IV. Si tamen quis ſcripſit haeredem quem vel ob immaturam aetatem, vel ob aliquod animi vitium acceptare non poſſe probe noverat, aut acceptationem praeſumptam ſufficere voluiſſe dicendus eſt, aut irritum Teſtamentum ſcripſiſſe, quod eſt abſurdum. Id de amentibus, infantibus, poſthumis quos quis inſtituit haeredes intelligendum. Itaque eiuſmodi Teſtamenta valere manifeſte patet, quippe quorum robur & auctoritas a voluntate Teſtatoris pendet, quam quidem nullo alio pacto interpretari quis poſſit, niſi afferat eam Teſtatoris ipſius fuiſſe mentem ut ad rerum ſuarum translationem perficiendam acceptatio praeſumeretur (1).

V. Ceterum cum in Jure Naturae una Teſtatoris ſimplexque voluntas rerum ſuarum translationi modum & legem dicat in-

---

(1) Concord. §. 1. 2. *&* 3. *Inſt. De Haered. inſtituend.* §. 4. *De Haered. qualit.* §. 26. 27. 28. *De Legat. L. penult. ff. De Legat.*

ſtitutio haeredis ad validitatem Teſtamenti neceſſaria non eſt (1). Ut quis enim partim exprimat voluntatem ſuam, partim praeſumi velit contradictionem non involvit (2). Quapropter poterit quis Legatarios tantum

---

L. 1. §. 2 *L.* 3. §. 7. *ff. De Haered. inſtit.*

(1) Diſcord. Rom. apud quos Teſtamentum vires per haeredum inſtitutionem accipit L. 10. *&* 13. §. 1. *ff. De Jure Codicillor. In eo enim praecipue Codicilli a Teſtamento differunt, quod illi ſine haeredis inſtitutione fieri poſſunt, teſtamenta non item. Exinde introducta* Codicillaris Clauſula *ut ſi ſolemnitatum defectu Teſtamentum non valeret, haeres legitimus ea exſequi cogeretur quae in Teſtamento ſcripta erant veluti ſi in Codicillis ſcripta fuiſſent. Vid. L. ult.* §. 1. *Cod. De Jur. Codicill. L.* 3. *in fin. ff. De Teſtam. mil. L.* 11. *Cod. de Teſtamentar. manumiſs. L.* 28. §. 1. *ff. Qui teſtament. facer. poſs. L. penult.* §. *ult. ff. De Legat.* 2.

(2) Romanis in genere placuit neminem paganum pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere poſſe L. 7. *ff. De Reg. Jur. Militibus tamen id conceſſum, & ex post facto etiam paganis permiſſum aliquando. Vid.* §. 5. *Inſtit. De Haered. inſtit. L.* 15. §. *ult. L.* 24. *ff. De inoff. Testam.*

designare, non autem haeredem, qui tunc in Civitate praesumitur succedere ab intestato. Distinctio igitur inter Testamenta & Codicillos Civilis omnino est, & apud multas gentes fere sunt Testamentorum & Codicillorum jura confusa.

VI. Si plures haeredes instituantur, ii omnes simul sumpti personam Testatoris quod ad eius bona repraesentant, ergo si quis eorum haereditatem adire vel non possit vel nolit idem est ac si haeres institutus non esset, pars igitur eius cohaeredibus naturaliter accrescit (1); quod & de Legatariis intelligendum.

§. 15. *De Societate Herili.*

Ex societate imperium, ex consensu societas, ergo servitus, sive subiectio alieno imperio, & obligatio parendi ex consensu, nempe ex pacto *(2)*: pactum licitum hy-

---

(1) Concord. L. 59. §. 3. ff. De Haeredib. Instit. L. 2. Cod. eod. L. un. §. 10. Cod. De Caduc. tollend.

(2) Servitus apud Romanos a captivitate bellica derivata, quod nempe arbitrarentur in bello captos & vendi & occidi posse,

pothetice, nempe cum quis eo redigitur ut nullo alio pacto ſibi neceſſaria ad vitae ſubſtentationem comparare poſſit, niſi operas ſuas alteri vendat, in eaſque alteri imperium ſeu perpetuum ſeu ad tempus transferat *(1)*. Jus Domini in ſervum, ſervi obligationes erga dominum voluntas paciſcentium dimetitur. Nulla igitur ſervitus juſta niſi voluntaria.

§. 16. *Ex Natura ſervitutis conſectaria.*

I. Jus in operas ſervi ex contractu perfectum: cui jus perfectum ipſi etiam jus connexum quod ſibi debitum eſt per vim exigendi, ergo vis aliqua in ſervum negligentem licita. Si ſecus, jus domini in operas ſervi nullum, quod eſt abſurdum.

& multo magis tamquam jumenta perfectae ſervituti, quin & dominio ſubigi. Inde inhumana dominorum in ſervos jura. Ejuſmodi barbararum Gentium ſententiae abſurditatem ſuo loco demonstrabimus. Vid. §. 2. 3. 4. Inst. De Jur. Perſon.

(1) A ſervitute differt famulatus, est enim operarum de die in diem locatio, ſive permutatio diurnae operae cum mercede & alimentis.

II. Illud praeceptum eſt jure Naturae, ut quis jus ſuum exſequatur cum minimo aliorum detrimento, ergo vis in ſervum licita, quae neceſſaria, & quae minimum ab humanitate diſcedat.

III. Jus igitur necandi ſervum illicitum *(1)*, tum quod ſocietatis obiecto, nempe vitae conſervationi contrarium, tum quod cum jus omne ſingulare ex conſenſu ſit, nemo alteri jus in vitam ſuam transferre poteſt quod ipſe non habet.

IV. Et licet aliquando in bello captos occidere licitum ſit id ab jure neceſſitatis potius quam ſervitutis dimanat. Ubi bellantium arma poſita & vis repreſſa, in victos captoſque nullum aliud eſt imperium quam civile. Sed de ſervitute bellica alibi: uno verbo, nemo alterum licite necaverit niſi neceſſitate alienae vis repellendae.

V. Cum tamen jus quaeſitum alienare fas ſit, operas etiam ſibi debitas alteri vendere non illicitum, niſi aliter in ſervitutis

---

(1) Diſcord. §. 1. *Inst. De his qui ſui &c.* *L.* 1. §. 1. *ff. eod.*

pacto ſit cautum, dummodo emptor in locum domini tam juris quam obligationis habita ratione ſuccedat.

VI. Si quis abſolutam ſervitutem contraxit, operaſque ſuas omnes alienavit ſocietatem coniugalem naturaliter inire non poſſe manifeſte patet, quippe qui filios educare & alere nullo pacto poteſt, ſi tamen mulier non adhuc ancilla concepit, aut volente domino filium quaeſivit, naturale non eſt ut filius conditionem matris ſequatur, & ſervus fiat (1), liber enim quiſque jubente Natura naſcitur. Poterit tamen dominus, qui ſuis impenſis liberum alit, educatque tamdiu puberis filii operibus uti donec impenſae omnes educationis reſtitutae. Id quidem ab imperio Parentum fluit, qui ſi filium educare & alere non poſſint niſi ſervituti eum ſubiiciant, licite id faciunt, cum minimo tamen libertatis naturalis

(1) *Diſcord. L. 4. ff. De Stat. hom. §. 1. Inſtit. Tit. De Jur. perſon. L. 7. Cod. De rei vind.*

turalis dispendio. Et cum perfecta, perpetuaque servitus necessaria non sit, ut parentes filiorum educationi consulant, jus filii laederent si perpetuam promitterent servitutem, atque adeo promissa servitus nulla. In servitutem ad tempus filium consensisse praesumitur, in perpetuam secus; nulla autem servitus nisi voluntaria.

VII. Debitorum etiam servitus invita quidem, attamen voluntaria; qui enim aes alienum contraxit, si solvendo non sit, tacite consensit, rebus suis omnibus deficientibus, operas proprias creditori se traditurum, si pluris valeant quam alimenta. Aequum igitur est, ut Creditor debitorem in servitutem perpetuam, vel ad tempus redigat juxta debiti modum.

VIII. Qui servitutem perfectam contraxit domino acquirit quidquid operarum fructus haberi potest: sua tamen facit ea omnia quae aliunde, puta donatione, testamento, legato (1) &c. illi obvenerunt, nil

(1) *Discord.* §. 3. *Inst. Per quas per-*

enim aliud niſi operas proprias alienavit.

IX. Cum ſervitus Contractus conſenſualis ſit aut tacitus aut expreſſus, & in mutua praeſtatione conſiſtat, ſi alter contrahentium officio ſuo minime ſatisfaciat jus dat alteri ut a pacto recedat. Si igitur dominus in ſervum ſine cauſa ſaeviat, aut alimenta neceſſaria non praeſtet, ſervo poteſtas facta eſt a naturali Lege, ut eo pacto quo poteſt, & fuga etiam vitae & ſaluti ſuae conſulat.

CAPUT XVIII.

De Jure Neceſſitatis.



§. 1. *De Officiorum Colliſione.*

Expoſitis erga ſe & erga alios naturalibus officiis tam perſonarum, quam rerum

---

ſon. cuiq. acquir. L. 1. §. 1. *ff. De his qui ſui, vel alien.*

habita ratione, reliquum est ut de officiorum fortuita collisione nonnulla veluti pro coronide adiiciamus priusquam ad Civitatis jura enucleanda gradum facimus.

Officia autem collidi, & confligere inter se dicuntur, cum quod regulariter alteri privatim debes ita cum generali & publica pugnat utilitate, ut a communi, ordinaria, consuetaque Legis & officiorum regula recedere necessitate exigente cogaris, atque adeo licitum fiat & justum quod extra necessitatis casum illicitum & iniustum fuisset.

Nec tamen putandum Naturam aliquando jus dare, ut quis Leges suas violet: violatio apparens tantum, reipsa altera Lex alterius vim & potentiam extinguit, & improprie Legem violare quis dicitur, cum Legis efficacia & auctoritas Natura ipsa jubente suspenditur.

Quippe Leges Naturales, uti multoties monuimus, nil aliud sunt quam actionum humanarum regulae in plerisque vitae conditionibus & utiles & necessariae, sine quarum ordinaria observantia nec homines vitam feliciter tuteque transigere, nec humani generis societas consistere posset, quae duo

potiſſimum efficiant Leges Naturales oportet, ut juſtae & dici & eſſe poſſint, eamque pariant internam, de qua alibi diximus, obligationem, pacatamque & tranquillam earum imperio obedientiam.

Sed incidunt ſaepe tempora cum ea quae videntur juſtiſſima commutantur, fiuntque contraria. Eadem igitur naturalis ratio, quae Juſtitiae fundamenta detexit, primum ne ſibi nec aliis noceatur, ſecundo ut communi ſerviatur utilitati, nos docet ut a communi regula recedamus, cum ſi ad eam actio dirigitur vel paucis vel nemini emolumentum, multis autem, aut univerſae hominum ſocietati perniciem, aut irreparabile detrimentum allaturi ſumus; atque adeo cum tempora commutantur, ita commutatur officium ut quae ad fidem, ad veritatem, ad juſtitiam, ad miſericordiam, ad pietatem pertinent ea migrare interdum & non ſervare ſit juſtum. Quippe univerſali Lege juberis ut nemini noceas, communeſque tibi non nocendi regulae praeſcribuntur in vita, eadem tamen tibi Lex jubet ut a conſueta recedas regula, ſi nocituram noveris iis ipſis, ad quorum utilitatem & felicitatem fuerat conſtituta;

in Legis enim consilio, mente, & obiecto & regula, & exceptio regulae continetur.

Ita generatim expedit humanae societati ut fides sancte servetur, promissa praestentur, depositum reddatur. Si quis tamen gladium apud te sana mente deposuit, insanus repetat reddere peccatum est, non reddere officium. Expedit ut nemini invito eripiatur dominium: ea Lex ad singulorum hominum conservationem, & universae societatis tranquillitatem & pacem componendam generatim necessaria, at si in tempus incidas, cum ejusmodi Lex aut uni aut pluribus sit nocitura, ut si a re aliena invadenda abstineas nulla aut tibi aut Reipublicae spes superfit, rem alienam per vim domino suo eripere & honestum & justum, & Legis ipsius consilio consentaneum, quae ob eam causam & dominium permisit, & Jus singulare in res proprias concessit, ut singulis vitae sustentandae facultas esset: Legem enim eo pacto non violas, sed potius interpretaris in eo in quo deficit ob universalitatem, quippe in Lege nihil excipitur, sed multa quamvis non excipiantur, intelliguntur: scriptum Legis angustum, interpre-

tatio diffuſa, exceptio autem ab ipſa Lege praecepta intelligitur ſi, ut paulo ante monebamus, eius conſilio, menti & obiecto reſpondeat.

Pietatem cole, inquit Lex Naturalis: At ſi Pater in patriam, cuius tibi tutela & conſervatio commiſſa, nefaria arma convertat, tradesne Reipublicae libertatem furenti? Non facies quidem, & ſi nullo alio pacto impendens Patriae tuae periculum avertere poſſis, neceſſitate coactus honeſtam putabis omnem publicae ſalutis expediendae rationem.

Sed quaenam erit Regula qua quis poſſit univerſalis Legis exceptiones dimetiri, & de colliſionis caſu judicium ferre? qua lance ancipitem juſtitiam ſuſpendere, atque adeo officiorum omnium momenta penſitare, ut gravius leviori praeferatur? Id fortaſſe in deſideratis adhuc habetur in Diſciplina Morali; nam licet quiſque ſentiat recedendum eſſe aliquando a communi ordinariae Juſtitiae regula, nemo eſt tamen qui poſſit receſſionis fines adamuſſim praeſcribere, quos ultra citraque nequeat rectum conſiſtere. Interdum enim fit ut commune

officium tam grave fit, tantumque generatim afferat humano generi emolumentum, ut quamvis receffio videatur commutata utilitate juftiffima, attamen vir honeftus & virtute praeditus eam fibi permiffam vix afferere audeat (1), fi aequa lance futurum penfitet detrimentum, quod & a permiffa, & a non permiffa receffione humano generi

(1) En tibi exemplum: licet publicum hostem imparatum & imprudentem etiam per infidias occidere: licebit ne post iterata fidelitatis juramenta, post plurimas amicitiae & benevolentiae attestationes, inter ludicra menfae, et fciphorum propinationes eum tibi fidentem veneno tollere, aut in tuo tamquam in amici finu jacentem, fecurumque proditorio ferro obtruncare? Viri honesti, qui tantum imaginatur facinus, animus refugit, nec fibi id permiffum fortaffe putabit, quamvis ea sit labantis reipublicae fustentandae ratio. Expedit quidem ut publici hostes e medio tollantur, fed aeque fortaffe expedit humano generi ut amicitiae et hofpitalitatis leges fanctae et inviolabiles habeantur ab omnibus. In tantorum officiorum conflictu utrum alteri praeferas vix novifse poteris, ab utriufque enim fufpenfione maxima imminet humano generi pernicies.

ſit obventurum. Nam perraro quidem, ſed tamen aliquando accidit ut juſtum ab iniuſto, honeſtum ab inhoneſto tam anguſto diſtet intervallo, ut licet maxima praeditus ſis ingenii acie vix poſſis utriuſque inveſtigare confinium, ut ſit in diei noctiſque confinio, quod tu nec tenebras, nec poſſis dicere lucem.

In tanta igitur ambiguitate id praeſtabimus quod & alibi fecimus, quae certa nempe nobis videntur adnotabimus principia, quibus vir honeſtus poſſit officiorum colliſionem diſcernere, & utrum utri praeferendum ſit generatim ſaltem intelligere; quamvis enim aliquando futurum ſit, nobis non diffitentibus, ut in ſuſpenſo haereat probi viri judicium, non tamen exinde fit ut nulla ſint neceſſitatis jura, nullaque ſit generalium Naturae Legum exceptio, quae in pleriſque vitae conditionibus manifeſte patet, nullaque ambiguitate involvitur.

Sunt tamen nonnulli qui receſſionem omnem a communi & generali Lege vetitam eſſe afferunt ex eo morali inconcuſſo, & ab omnibus jam diligenter explorato principio „ *Non ſunt facienda mala ut eveniant*

bona „ Ea ſententia rata eſt apud omnes, ea utuntur ſaepiſſime Juſtitiae & honeſtatis interpretes ad perplexas difficileſque quaeſtiones diiudicandas; at dum de eius veritate ne ſuſpicantur quidem, vel in maximos, eoſque turpiſſimos labuntur errores; vel ſi in difficilem Juris nodum inciderint, ea duce ſe nullo pacto extricare poſſunt.

Quod ſi minus moralium diſciplinarum Interpretes alienae auctoritati (1) aurem

---

(1) Quoties de auctoritate verba facimus humanam, non divinam intelligimus, cui ab omnibus aeque parendum. Illud tamen hic loci animadvertendum puto neque ab ipſa Revelatione humanam rationem eſſe omnino eliminandam praecipue ſi de iis quae ad mores pertinent, & in ſacris Litteris continentur ſermo ſit. Qui rationem exſulare jubent a moralibus praeceptis, quae in ſacris Litteris traduntur & in abſurdam enormemque Lutheri *ſententiam imprudentes incidunt, quam egregie & elegantiſſime refutavit* Melchior Canus *Loc. Theolog. Lib.* 9. & 10. *& ea docent, quae, ſi ſectatores inveniant, moralia omnia ſuſdeque miſcere, & revelationem ipſam inutilem omnino, & inefficacem reddere poſſent. Divina enim Revelatio, quae ad mora-*

praebuiſſent, propriumque judicium aliquando aut poſſent, aut vellent adhibere, facile intelligerent ejus ſententiae aut nul-

---

lem diſciplinam refertur ſupponit homines propriae rationis ope vel noviſſe, vel ſaltem facile cognoſcere poſſe & Naturae univerſalis Leges, & jura & obligationes, quae inde derivantur, & Legum ipſarum exceptiones & fines. Origo, natura, fines, commutationes officiorum in Revelatione non explananiur: ad virtutem hortatur, excitat, impellit Divinus Legislator, a vitiis retrahit homines, additque maximum virtutis incitamentum futura & aeterna praemia probis et honeſtis viris reſervata. Ceterum et Virtutes et Vitia in ſacris Litteris communibus vocabulis indicantur, quorum ſignificatio aliunde hominibus nota ſupponitur. Surdo quidem praedicas juſtitiam, miſericordiam, humanitatem, liberalitatem, temperantiam, magnanimitatem, ſui defenſionem, publicam vindictam, expletionem juris, *et cetera hujuſmodi, niſi qui audiunt praenoverint quid iis nominibus ſignificetur, et quae ſit cuiuſque virtutis, et Juris indoles, natura, modus et finis. Fruſtra etiam praedicas ut homines abſtineant a* dolo, fraude, avaritia, crudelitate, intemperantia, mendacio, furto, rapina, adulterio, homicidio *niſi qui te audiunt probe intellexerint, aut*

lam, aut instabilem, vagam, incertamque esse significationem; atque adeo sententiam ipsam non tantum inutilem & sensu va-

---

intelligere possint quid sibi velint haec vitiorum nomina, et quam late pateant. Haec omnia in sacris Bibliis assumuntur veluti hominibus nota, vel facile cognoscenda ope rationis. Finge animo hanc non concessam esse praeviam hominibus boni et mali, sive Virtutum et Vitiorum omnium cognitionem, jam inutilis omnino revelatio. Non occides. *Ergo ne omne homicidium illicitum? Ad Legem ne bonus eris, et hostem patriam aggredientem impunem relinques?* Non furaberis. *Quid furtum? quid rapina? quid dominium? quid possessio? Haec ne invenies in sacris Litteris definita? Nisi autem haec praenoveris quo pacto praeceptum intelliges, eique modum finemque constituas? Haec quidem omnia non aliunde quam a ratione petenda, quae homicidium et furtum, et cetera iniuriarum genera ad communis utilitatis normam dirigit, et generalis officii indolem, naturam, fines praescribit. Nisi haec praenoveris, generalia Legis praecepta nil aliud continent quam inutilem, incertamque sententiam, nempe:* Non occides cum occidere illicitum est; neminem a possessione rei suae deturbatis cum rem suam jure possidet, nempe cum eum deturbare

cuam in morali diſciplina, ſed & perniciofam eſſe judicarent. Facienda quidem mala non ſunt, ut eveniant bona: eſto. Decernas tamen prius oportet quae mala dicantur & ſint. Ni facias, ſententia de qua agimus pura puta eſt petitio principii, ſupponit enim notum id quod ignotum eſt,

---

injuſtum. *Videant quaeſo in quem anguſtum locum moralem diſciplinam coniiciant qui homines infra belluas quodammodo amandantes et ſenſu et ratione privant, qua tamen nihil divinius, et cuius prima nobis eſt cum Summo Numine ſocietas; eius enim ope conſequentia cernimus, principia et cauſas rerum videmus, earumque progreſsus et anteceſſiones inquirimus, ſimilitudines comparamus, et rebus viſibilibus adiungimus et adnectimus invisibiles. Nobis hac divina vi praeditis praecepta moralia tradita ſunt. Quae ratio detexerat, haec auctoritate ſua Deus Optimus Maximus confirmavit, Legesque addidit ſapientiſſimas, quas, ut in antelogio monebam, vel ſero vel nunquam homines detexiſsent. Haec quidem Revelationi accepta referenda ſunt in diſciplina morali, cetera omnia a Ratione, a Divino hoc lumine petenda, sine quo & ipſa revelata praecepta intelligere, & humanis actibus regendis aptare nefas omnino.*

ſeu id quod quaeritur. Quippe malum illicitum, & a nemine perpetrandum, ſed ſi quod malum in genere dicitur commutatur, & honeſto admittitur conſilio ut communi hominum inſerviatur utilitati, id ne malum dicis, & vetitum eſſe doces, nec commutari eo caſu officium hominis poſſe cenſes? At malum eſt in genere hominem occidere, licet tamen ob inculpatam tutelam, ut te, ut cognatos, ut patriam contra vim privatam & publicam defendas. Peccabis ſi vitam tuam ſine cauſa in diſcrimen adducas; ſi ut patriam ſerves pericula magnanimus adeas & fortunae vitam committas impenſe laudaberis: non ſine flagitio homini innoxio creabis moleſtiam, Chirurgo tamen, qui te lacerat, cremat, amputat ut vitam ſervet & mercedem rependis & gratiam. Si igitur finis quo actio refertur honeſtus ſit, & ad humani generis utilitatem dirigatur, malum in bonum, licitum in illicitum commutatur.

Quod ſi reponas ſententiae, de qua agitur, mentem eſſe ut praecipiatur non agendum eſſe honeſto conſilio id quod etiamſi honeſto conſilio agatur malum eſt, rurſus

in principii petitionem incidis, & inutilem omnino pronuncias sententiam; doceas enim prius oportet quaenam ea sint quae illicita sunt etiamsi honesto consilio committantur, vel saltem quaenam sint in vita tam turpia, tam scelesta ut ne honesto quidem consilio fieri possint, id enim ab ipsa regula vel sententia nullo pacto indicatur. Si ea quae absolute turpia & illicita sunt investiges & exponas, habebis particulares agendi regulas, non autem generalem sententiam; si id non praestes, Regula illa tua generalis ad eam redigitur quam scholae dicunt *Propositionem identicam*, nempe: *Non debes facere honesto consilio quae mala sunt, scilicet quae non debes facere etiam honesto consilio*.

Hisce praenotatis quae sequuntur statuimus

§. 2. *De Officiorum Collisione principia generalia*.

I. Quo majora & graviora sunt communis Legis momenta ad externam internamque humani generis felicitatem, eo major utilitas, duriorque necessitas sit oportet, qua ab ea recedere jure cogaris.

II. Cum receffio a communi Lege tunc tantum fit licita, cum ratione pofita manifefte liquet majus te allaturum humano generi emolumentum fi recedas a Lege, quam fi ei adhaereas, cave ne tantum immediatos actionis effectus ad calculum redigas: remoti etiam effectus omnes fupputandi funt, ut ratio conftare poffit. Itaque & exemplum quod ex tua in cafu emergente receffione a Lege trahere honefti & probi viri poffent ad fimiles cafus cum humani generis detrimento fupputationi accedat oportet, & fi quid damni timeatur hominum focietati in futurum, a receffione quamvis fortaffe eo cafu legitima, utili, & innoxia abftinendum.

En tibi exempla: Pactus es temere & imprudenter alteri dare, id cujus praeftatio maximum tibi afferet detrimentum, alteri vero aut nullam, aut parvam utilitatem; alter tamen a contractu recedere detrectat, poftulatque inhumane ut fidem ferves, debesne in pactione manere? Si actionem in fe, eiufque immediatis effectibus tantum penfites, putabis fortaffe te jure a pactione recedere poffe. Si vero remotos fub-

ducas effectus, & quanti humanae ſocietatis interſit ut a contrahentibus fides ſervetur, te obligatum ad praeſtandum id quod in conventionem deductum eſt facile ſentics, quia enim multoties temere pacta ineuntur, tot eſſent in ſocietate qui eodem jure uti vellent ob minimas laeſiones, minimoſque admiſſos errores in rebus contrahendis, atque adeo tot exorirentur lites, controverſiae, diſceptationes, ut nullum fere eſſe poſſet hominum inter ſe commercium, ſine quo univerſa humana ſocietas vix conſiſtere poſſet. Ob eam igitur cauſam data fides ſervanda, quamvis aliud in emergenti caſu utilitas ſuadere videatur, ut nempe majora damna vitentur, quae ſocietas pateretur ſi ab eiuſmodi pactionibus recedere liceret.

Eodem pacto licet interdum publicum hoſtem ſolerti conſilio, ſimulatione, falſiſque narrationibus circumvenire, non licet tamen pactis induciis, aut foedere inito fidem violare, etiamſi patriae tuae ſalus id neceſſario expoſcere videatur; ne enim a communi Lege recedas te monet irreparabile quamvis remotum damnum, quod exinde

exinde generi humano obveniret. Si liceat enim datam hosti fidem rumpere jam nullum concertationum finis inter Gentes, bella exitiosa, desperata, internecina, neque unquam cessantia nisi cum extremo alterius partis excidio.

III. Si a communi Lege recedas alienae & publicae, non propriae & privatae utilitatis gratia honestiorem, potioremque habebis recessionis causam; videberis enim Justitiae diligentissimus custos, & cultor eximius, si ab eius ordinariis praeceptis recedere illicitum putas tunc etiam cum ipsum discedere tui damni vitandi causa nec criminosum, nec inhonestum esset, quippe ipsa fortasse nimia servandae Justitiae religio & virtutem tuam arguit, & fundamentum est perpetuae commendationis. At si quando Respublica periclitatur, si salus universae Societatis in discrimen adducitur, officium commutatur omnino: dubitationem omnem abiicias, scrupulum avellas, publicamque justitiam privatae antereras oportet, nec tibi licet falsis quibusdam virtutis, & vilioris ut ita dicam, honoris & justitiae notionibus publicam salutem immolare.

Si flumen ruptis aggeribus, confractiſque repagulis & Civium domicilia, & ſata virentia inundaturum fore praevideas, & alienae ſectiles tabulae praeſto ſint ad eius vim comprimendam, ab iisne invadendis abſtinebis ne privatam Civis proprietatem laedas? Si facias publicum crimen admittis, quamvis privatę juſtiſſimus.

IV. Si damnum tibi innocenti immineat irreparabile, quod nullo pacto praecavere poſſis niſi alteri damnum, reparabile tamen, inferas, tibi licere a communi regula de non laedendis aliis recedere manifeſte patet, receſſionis enim fundamentum communis utilitas, expedit autem univerſae Societati, ut ſinguli homines vitam ſervare poſſint alteri aliquod inferentes damnum, ſi praecipue ſit reparabile. Me inimicus ſtricto gladio inſequitur & corporis viribus & armorum praeſtantia validior, jam inſtat me interfecturus; occurrentem equum invito etiam & reluctante domino jure conſcendo ut fuga vitae meae proſpiciam. Neceſſitas vim juſtam facit dummodo damnum domino datum, ſi poſſim, reparem.

V. Si autem mihi & alteri aequale im-

mineat damnum irreparabile ſine utriuſque culpa, & uni ſit pereundum, ut mihi potius in genere conſulam quam alteri Lex Naturae jubet, ratio enim publicae utilitatis ceſſat in hypotheſi, cum uni neceſſario ſit pereundum, niſi forte magis interſit, ut alteruter vel ſua, vel Reipublicae cauſa vivat; pulcrum enim & honeſtum eſt pro patria, & pro publica ſalute mori. Sed ſi omnia paria ſint in utroque nullum erit certamen, nulla enim alia Lex reliqua eſt, quam naturalis, ut nempe vitam ſerves.

Paria vero in utroque omnia eſſe conſtat ſi utriſque aequalitas ſit obligationum & jurium; nam ſi cui ſit jus aliquod ſpeciale & ſingulare quaeſitum ad medium aliquod quo ſibi praeſertim conſulat, id ab altero auferri ſine iniuria non poterit. Jure igitur potior vincet, alter vero mortem ſubire neceſſitate coactus tenebitur: quod quidem non raro accidit civili inita inter homines ſocietate.

His poſitis moralia quae huc referuntur problemata, & quae ancipiti mentem agere dubitatione videntur facile reſolvuntur, ut ecce an, ſi quis imbecillior viribus

in naufragio tabulam ceperit, poſſit alter manus in eum inferre, tabulamque vi ereptam conſcendere, ut ea nixus mortem evadat; an ſi duo naufragi eodem tempore unam tabulam arripiant, quae ambobus ſuſtinendis impar eſt, alteri cedere debeat alter, vel ſibi quiſque in alterum illata vi conſulere; an ſi plures in ſcapham inſilierint fracta navi ceteros qui eam conſcendere aggrediuntur jure repellant, vel ſi plures eodem tempore ſcapham conſcenderint, quae omnibus ſuſtinendis impar ſit, ſe invicem in mare proiicere, ut ſcapha exoneretur poſſint; an in ſumma cibi penuria aut conſentientem, aut invitum occidere liceat; an in urbe obſeſſa, in navi (1), in vaſta ſylvarum ſolitudine eos cogere liceat qui cibaria habent ut in commune conferant &c.

Sexcenta ſunt eiuſmodi (2) quae me-

---

(1) *Vid. L.* 11. §. 2. *ff. De Leg. Rhod.*

(2) *Multa videnda ſunt apud* Ciceronem *De Offic. Lib.* 3. *Cap.* 23. *& ſeq. quae ex Libro* Hecatonis *De Officiis deprompta exhibet.*

morari possent, communes enim Leges fere omnes collidi saepissime, & officia cum officiis confligere manifeste patet: ea tamen Lectoris judicio ponderanda relinquimus, qui si velit nostra principia propositis aptare quaestionibus, facile quae perplexa videntur explicabit; de particularibus enim controversiis omnibus enucleate disputare, & omnia singillatim percensere Instituti nostri ratio non patitur.

De jactu tamen mercium navis levandae causa, qui ad necessitatis jura refertur, non tam leviter differendum, quod maxime eius doctrinae usus in commercio maritimo frequentissimus esse possit.

§. 3. *De Jactu mercium principium generale.*

Si meae & alienae rei commune periculum immineat, nec alio pacto vitari possit, nisi alterutrius res perdatur, & mihi alienam, & alteri meam perdere licet, dummodo quemadmodum periculum, ita & damnum commune sit.

Nam cum in hypothesi utriusque res peritura esset; nisi res alterutrius perderetur, alienae jacturae acceptum fero, quod res mea servata sit, atque adeo cum nemo-

locupletior fieri debeat cum aliena jactura, ut utrique damnum commune ſit pro rata aequitas poſtulat naturalis.

Huc accedit quod cum utriſque jus ſit aequale ad commune propulſandum periculum, eademque obligatio tam ſuae quam alienae rei ſervandae, nulla ratio eſt cur alter ex iis tantum damnum ferre debeat, cuius rebus perditis res aliena ſervatur. Neceſſitas enim facto quodam naturali in quaſi ſocietatem eos conſentire cogit, ita ut in emergenti periculo ſine alterutrius culpa commune lucrum ſit, & damnum commune.

§. 4. *Ex principio generali de jactu mercium conſectaria.*

I. Cum e duobus malis minus ſit eligendum, ſi qua res perdenda eſt, ut ceterae ſerventur, a vilioribus initium faciendum, ſiquidem eligendi tempus tribuat periculi vitandi neceſſitas (1).

(1) *Id Statuitur in Jur. maritim.* Philipp. II. *Hiſpan. Reg. Tit. De Naufrag. Art.* 5. *Quapropter ſi vectores ciſtas obſignatas habent ingruente tempeſtate quid conti-*

II. Si naufragii vitandi causa jactus faciendus damnum dividitur pro rata inter eos omnes quorum sunt res, quae per jactum servatae sunt, atque adeo & ipse navis dominus contribuat oportet *(1)*. Aequitatem hanc naturalem latis legibus confirmarunt:

neant indicent oportet, alias contributores pretium tantum cistarum praestabunt.

(1) *Juxta Jus Lubecens. Lib. 6. Tit. 2. Art. 3. Jus Pruthen. Lib. 4. Tit. 19. Art. 2. §. 2. pretium Navis statuitur ab ipso domino vel magistro, & contributorum arbitrio permittitur an eo pretio emere velint navem, aut Magistro ita aestimatam relinquere. In vetustissimo Libro, cui Titulus* Consulatus Maris *Cap. 93. 94. 96. Magister navis non confert nisi medium navis pretium. Animadvertendum hic loci apud Gentes fere omnes, quae commercium exercent, & navigationi dant operam, propria esse particularia Statuta, quibus Jus Maritimum regitur partim a summa cuiusque Urbis vel Regni potestate firmata, partim ab aliis Gentibus, quae maxime maritimo commercio & late patenti navigatione floruerunt, mutuata: nam praeter Consulatum Maris hispanice primum conscriptum, cuius capitula fere ab omnibus recepta olim fuere,*

Rhodii, quas Gentes omnes, & ipsi Romani libenter exceperunt.

III. Quoniam & naulum domino navis debitum pro mercium vectura servatum est alienarum rerum jactu, naulum etiam in contributionem venit.

IV. Et quia ex necessitatis Lege quasi communio inter eos omnes, quorum rebus commune periculum imminet, inita est, tam res amissae quam servatae iisdem regulis aestimandae sunt, nempe quanti venire potuissent loco destinato *(1)*.

---

est & Jus Maritimum Visbicense, seu Wisbycense, Uliarense, Hanseaticum, Lubecense, Amburgense &c. quorum constitutiones apud eos valent, a quibus receptae sunt & in usum deductae. Apud nos patriae Leges, praecipue vero quae a Francisco *Caesare, eiusque Sapientissimo Filio D. N.* Petro Leopoldo *latae sunt ann.* 1769. *Consulatus Maris, Romanaeque Leges res maritimas moderantur.*

(1) Dissent. L. 2. ff. De Leg. Rhod. De Jact. qua res amissae quanti emptae sunt, res servatae quanti vendi possunt aestimantur. Quintinus Weits *Tract. De contrib. hanc regulam praescribit: si jactus post medium navis iter factus est, tunc merces amissae aesti-*

V. Merces in contributionem veniunt non oneris sed pretii ratione, quantum enim quisque lucratus fuerit vitato naufragio, non quanto navem oneraverit pondere aestimandum est.

VI. Quaesitum est an vectores, & vestimenta, & anuli, & res pretiosae, quas ipsi in navi haberent jacturam praestare debeant, & de anulis & vestimentis, ceterisque pretiosis rebus quae omnia servata sunt jactu mercium non ambigitur debere; dubitari tamen posset de ipsis vectoribus quia corporum liberorum nulla fieri potest aestimatio. At cum & ipsorum pondus in causa fuerit cur mercium jactus fieret, non video qua de causa ad damnum resarciendum non obligentur, non dicam pro personae pretio, cuius nulla est aestimatio, sed saltem habita ponderis ratione, quod aliquid est

---

mantur quanti venire possent in loco, ad quem dirigebantur, si ante medium iter quanti emptae sunt. Idem statuere videtur Cap. 95. Consulat. Maris, diversa tamen est de rerum amissarum aestimatione apud diversas Gentes praxis.

aeſtimabile relate ad mercium & navis dominos. Ut autem ponderis pretium ſtatuatur habendam eſſe rationem puto pretii medii earum mercium, quae ratione tantum ponderis portorium, ſeu naulum ſolvunt, tantique aeſtimanda vectorum corpora, quanti merces memoratae venire poſſent (1).

VII. Magiſter navis tamen, & Nautae omnes, & cibaria jacturam non praeſtant, eorum enim pondus quoniam neceſſarium in cauſa non fuit, cur jactus fieret, omniumque aeque intereſt, ut cibaria & homines gubernandae navi non deſint.

VIII. Cum damnum jactu datum commune ſit omnium, qui merces habent in navi, & navis ipſius Magiſtri, parum in-

---

(1) Diſcord. L. 2. §. 2. ff. De Leg. Rhod. ubi tamen excipitur caſus ſi vectores totam navim conduxerint, tunc enim ſi ingruente tempeſtate vel malus caeſus, vel rudentes reciſi, vel vela diſrupta, vel anchorae vel cetera navis ornamenta & inſtrumenta in mare projecta, vectores quidem non avariam praeſtabunt, ſed Magiſter navis aget contra eos ex conducto.

tereſt an quis jactatas res amiſerit, an jactus cauſa nudatas deteriores habuerit: damnum igitur rerum quae deteriores factae ſunt, in commune conferetur, in quo computando pretium deteriorationis accenſetur rerum amiſſarum pretio, & ſumma in collationem venit; atque adeo ſi res jactatae recuperatae fuerint, collatio diminuitur pro praeſenti rerum pretio, & ſi poſt collationem recuperantur, quod collatum eſt reſtituatur oportet pro rata.

IX. Quia vero communis periculi propulſandi gratia res alienae perduntur, atque ob eam cauſam commune damnum eſt, ſi jactu facto navis tamen illico perit, ratio collationis ceſſat. Itaque ſi res ſuas jam naufràgas quis recuperet non jactui id tribuendum, ſed aut induſtriae aut fortunae; nulla igitur fieri debet rerum receptarum collatio.

X. At ſi non ſtatim, ſed alia ingruente tempeſtate navis pereat, quaeritur an qui res ſervatas habuerunt jactus cauſa in primo periculo, eaſque poſt ſecundum per urinatores receperunt, teneantur jacturam praeſtare illis, quorum merces in primo periculo pro-

iectae fuere, & teneri dicimus; nam qui jacturam rerum ſuarum paſſus eſt navis levandae cauſa in tempeſtate, habet in rebus ſervatis quidquid conferendum ipſi fuerat jactus cauſa, atque adeo quacumque ratione res illae poſtea ſalvae ſint, quamvis navis fuerit alio in loco ſubmerſa, illi jus debitum auferri nequit (1). Ii tamen qui in ſecundo periculo res ſuas amiſerunt rationem nullam habent eius qui navis levandae cauſa in primo jacturam fecit, quod enim ei debitum fuiſſet cum ipſis rebus periit.

XI. Cum contributionis, ſeu collationis ratio potiſſima ſit, quod damno unius promoveatur commodum reliquorum, ſive a reliquis damnum avertatur, ſi navis onuſta mercibus flumen aut portum ingredi non poſſit, & ob eam cauſam mercium pars in leviorem navim, ſeu ſcapham trajectae ſunt, ne navis nimis onuſta periclitaretur, ſubmerſa ſcapha damnum contributione reſarciendum, namque eae merces ſervandae na-

---

(1) *Concord. L.* 4. §. 1. *ff. eod.*

vis causa perierunt. Si autem salva scapha, suborta tempestate navis periit, ratio haberi non potest eorum qui in navi perdiderunt; cessat enim contributionis causa, cum superveniens naufragium, & ex eo damnum eorum, qui in navi merces habent, in causa non fuerit, ut scapha salva esset, atque adeo idem sit ac si jactu facto navis periisset *(1)*.

XII. Ceterum contributio, seu collatio, de qua hactenus verba fecimus, barbaro vocabulo a Jurisconsultis dicitur *Avaria (2)*, vel *Haveria*, quae in *grandem* & *commu-*

---

(1) Concord. cit. L. 4. vers. Contra si scapha, & illud quod Paulus *ait Lib. 2. sent. Tit. 3.* „ *Nave perdita conservatae cum mercibus scaphae ratio non habetur* „ *Quod de tempestate, idem de Pyratis dicendum L. 2. §. 3. ff. eod.*

(2) Vocabuli incertum etymon. Sunt qui censent illud habere a Gallico Havre, *seu Teutonico* Haven, *quod nomen* portum *significat, cum Avaria sit quod ab his quorum merces in portum salvae delatae sunt in eos confertur, quibus merces jactus causa perierunt. Vid.* Loccen. *De Jur. marit. Cap. 7. inter scriptores de Jur. Naut. ab* Heineccio

nem dividitur: prima dicitur cum & navis pro rata in collationem venit, altera cum navis excipitur; nam ſi mercium cauſa tantum impenſae fiant ut ſalvae in portum adducantur, navis Magiſter pro eius pretio contribuere non tenetur, quippe qui ex ipſo contractu nautico nil niſi navem aptam, operaſque navigationi neceſſarias praeſtare debet. Si quid igitur impendat mercium tantum cauſa a mercatoribus reficiatur oportet, quibus impenſae & utiles & neceſſariae (1).

---

collect. pag. 998. *Fortaſſe origo nominis commodius veriuſque deduci poſſet a barbaro itidem vocabulo* Avaria, *ſive* Averia *quod apud Scriptores infimae Latinitatis facultates & bona vel res praeſertim mobiles, quae in bonis cuiuſque ſunt, ſignificat, quasi diceres vernaculo idiomate* l'Avere di ciaſcheduno. Avaria *enim eſt quod cuique debetur ex ſalvis mercibus contributione facta, nempe* il ſuo avere. *Vid.* Du Cange *Gloſsar. med. & infim. Latinit. verb.* Avaria, *&* Averium.

(1) Civile igitur eſt quod apud nonnullas Gentes uſuvenit, ut pecunia quae locorum peritis tribuitur, ut navem in tuto conſtituant ad Avariam grandem non pertineat nisi ſex

§. 5. *De Jactu dolo vel culpa facto.*

Haec quidem recte procedunt, naturalique rationi sunt consentanea, si mercium jactus tempestati aut fortunae acceptus referendus sit; sed si jactui dolus vel culpa agentis liberi causam dederit ab eo damnum sarciendum ex principiis jam demonstratis manifeste liquet; quapropter non incongrue Jurisconsulti jactum dividunt in *meticulosum*, *non pure necessarium*, & *necessarium*, & in uno necessario praestandam esse ab omnibus pro rata jacturam affirmant. Nam cum meticulosus jactus dicatur si quis navigandi imperitus periculum naufragii metuens ubi reipsa metuendum non esset, jactum facit, non pure necessarius autem cum periculum revera imminet, sed quod ita culpa praecessit, ut sine ea nec casus fortuitus extitiss-

---

marchas Flandricas *excedat*; *impensae enim istiusmodi non tam mercium, quam navis servandae causa fiunt, atque adeo naturali ratione in commune conferendae essent. Vid.* Loccen. *l. c.* §. 3. Vinnium *in* Peck. *Ad L. Rhod. De Jactu pag.* 193.

ſet, nec jactus neceſſitas, liquido conſtat jactum mercium culpae alienae tribuendum, non fortunae, nec ex eo alienum commodum promotum eſſe, atque adeo ab eo damnum reſarciendum qui culpam admiſit, non autem per collationem pro rata.

Culpa autem naufragii periculo pluribus modis cauſam dediſſe poteſt, ut ecce: ſi Nauta artis ſuae imperitus in ſcopulos impegerit, ipſi enim imperitia imputari & poteſt & debet; ſi nulla cauſa, ſed vel temerario auſu, vel avaritia ductus recta navigatione contempta, devia ſectatur (1), ſi plus juſto navim oneravit (2), ſi averſo & inidoneo tempore e portu ſolvit (3), vel ſi commodo tempore navigare omiſerit, & in portu manſerit (4), ſi ſine gubernatore in

---

(1) Concord. L. 7. Cod. De Navic. ſeu Naucler. L. 3. Cod. De Nautic. foen. L. 18. ff. Commod. vel contr.

(2) Concord. L. unic. Cod. Ne quid oneri publ.

(3) L. 36. in fin. ff. De Rei vindic. L. 13. §. 2. ff. Locat.

(4) Argum. L. 2. §. 8. ff. Si quis caution. in judic.

in flumen navem immiserit, & tempestate orta temperare non potuerit, & navem perdiderit (1), uno verbo si negligentia, conventionis violatione, mora peccaverit

Principia, quibus totam de jactu doctrinam expedivimus, facili negotio aptari possunt ad incendia, quae identidem in Urbibus suboriuntur, in quibus saeviente flamma, vicini aedes intercidere, si nullo alio pacto incendium arceri & comprimi possit, licet (2); dummodo in collationem veniant

(1) *L.* 13. §. 2. *ff. Locat.*

(2) *Vid. L.* 3. §. *penult. ff. De incend. ruin. naufrag. L.* 49. §. 1. *in fin. ff. Ad Leg. Aquil. L.* 7. §. 4. *ff. Quod vi aut clam. Quae quidem Leges distinguunt inter aedes publica, auctoritate, & privata intercisas. Si publica, dandam esse ajunt actionem restitutoriam vim passo; si privata, distinguendum rursus docent an ad vicinas aedes incendium jam pervenerit, an secus. Si pervenisset, eum qui intercisit non teneri affirmant cum damnum non dedisse videatur qui incendii defendendi causa aedes deiecit, quae aeque incendio periissent; si vero ad aedes deiectas flamma non pervenerit damnum ab eo resarcien-*

ii omnes, quorum aedes probabiliter periturae erant pro ratione propulſati damni & quantitate periculi.

---

dum qui deiecit, & simpli litem aeſtimandam. Noſtra decisio aequitati naturali videtur magis conſentanea, cum enim qui proximas incendio aedes intercisit non sibi tantum, ſed & iis omnibus qui aedes in eadem inſula habent proſpexerit, aequum eſt ut singuli in eum qui damnum paſsus eſt conferant juxta regulam ſupra notatam, quandoquidem alienae rei jactura ſuae ſervatae ſunt. Quapropter apud nonnullas Gentes eſt conſtitutum ut vicinia domino deiectarum aedium damnum reparet. Vid. Vinn. *ad* Peckium *De Re Naut. ad Lib.* 1. *ff. ad L. Rhod.* Argentr. *ad Conſuet. Britann. art.* 600.

Finis Partis primae.

JURIS PUBLICI UNIVERSALIS
SIVE
JURIS NATURAE ET GENTIUM

PARS II.

Quae Jus Publicum Generale, seu proprie dictum complectitur.

CAPUT I.

De Origine Civitatis, ubi de Imperio publico, ejusque translatione.



§. 1. *De Origine Civitatis.*

Haud immerito quidem *Plato* & *Aristoteles* hominem animal politicum dixerunt, quippe quem si non ad civilem, saltem ad aliquam societatem Natura ipsa impellit, ut cetera fere animantia omnia (1). Omnium

(1) Et Plato *&* Aristoteles *hominem saepe vocant* ζῶον πολιτικόν, *at* Aristoteles *ad* Nicomach. *Lib.* 8. *cap.* 12. *fatetur hominem esse* συνδυαστικὸν μᾶλλον, ἢ πολιτικόν.

primam coniugalem & paternam diximus; filius enim natura duce parentes ſequitur opis indigens, parentes indigenti filio opem ferunt naturae ſtimulis potius compulſi, quam rationis imperio. Indigentiae igitur humanae natura ipſa per ſocietatem conſuluit, qua finita, ſocietas diſſolvitur. Nulla exinde inter puberes homines coniunctio niſi nova aliqua emergat indigentia. Si quiſque ſibi ſufficiat quae ratio ſocietatis inſtituendae? Si vero quiſque naturae Leges, quas hactenus expoſuimus, ſequutus eſſet, ſi quiſque officia humanitatis ſponte & alacri animo ceteris praeſtitiſſet, nonne ſinguli ſibimetipſis ſuffeciſſent, atque adeo felicitatem ad quam naturali feruntur impetu fuiſſent aſſecuti? Quae igitur novae ſocietatis utilitas & neceſſitas ſi latiſſime patentem illam univerſi generis humani coniunctionem ſecundum naturam coluiſſent?

Sed cum ab immemorabili tempore civilem Societatem homines contraxerint, manifeſte conſtat naturalis Juris violationes, atque inde exortas perturbationes, diſcordias, contentiones, bella in cauſa fuiſſe, ut quod quiſque per ſe non poterat, col-

latis viribus multi aſſequerentur, ut nempe vim eorum, quorum animum ambitio & avaritia inceſſerat, compeſcerent & refraenarent. Omnia enim in primaevo naturae ſtatu incerta & turbata ſint oportet, ſi ingenito univerſalis benevolentiae ſenſu vel errore corrupto, vel privatis affectibus obtuſo, & fere deleto nonnulli in aliorum perniciem ruant: quippe nulla fere naturalis Legis poenalis ſanctio, nullus alienae iniuriae judex, nullus qui induſtriae fructus terrae cultori proprios afferat: incertum etiam an in ſumma alienae opis indigentia ceteri velint aut poſſint auxilium poſtulanti praebere; atque adeo homines metu trepidi de vita in diem ſuſtentanda tantum ſoliciti non eam animi & corporis perfectionem comparare poſſunt, ad quam mirabili artificio provida ipſa natura eos inſtituit, & quam acquirere nefas niſi alter homo alteri opem ferat, & ſingulorum res & operae mutuis officiis com municentur.

Hinc primum parvae hominum ſocietates & informes exortae, ut collatis viribus rerum quae ad vitam ſervandam & perficiendam neceſſariae ſunt ſufficientiam com-

pararent, & ab aliena vi & iniuria ſecuritatem aſſequerentur. Eas paulatim ceteri imitati ſunt, donec genus humanum eſt in diſtinctas ſocietates diviſum non dicam non contradicente, ſed jubente quodammodo natura; ſi enim ut homines felicitatem quaerant imperat, jura etiam det omnia oportet, ſine quibus felicitas comparari non poteſt.

Haec, quam ſupra definivimus, ſocietas, quam homines principio eo conſilio inierunt ut perfectionem & felicitatem, & ab aliena vi ſecuritatem, quam ſingulatim ſumpti acquirere non poterant, coniunctionis praeſidio, viribuſque collatis ſibi compararent, *Civitas* dicta eſt, ſocii ſimul ſumpti *Populus* aut *Gens*, ſinguli ſeparatim *Cives*.

§. 2. *Ex Civitatis origine conſectaria*.

I. Cauſa igitur remota Societatis civilis ipſa hominis natura eſt, proxima vis alienae & iniuriarum metus.

II. Civitatis conſilium & obiectum felicitas & ſecuritas ſociorum; & cum ſocietas omnis ex conſenſu, qui in ſocietate ſunt ad id aſſequendum vel expreſſe vel tacite conſenſerunt.

III. Primum igitur ſociorum in Civi-

tatem coeuntium pactum illud est ut singuli se obligent erga omnes se adhibituros media, quae communi suffragio aptiora videbuntur ad finem Civitatis assequendum, omnes vero obligentur erga singulos ad eorum felicitatem & securitatem collatis viribus promovendam.

IV. Itaque in Civitate bonum singulare idem est ac commune bonum Civitatis (1), commune autem Civitatis bonum ex singulari cuiusque civis bono constat. Bonum commune *salus publica* dicitur.

Si quis in Civitate felix securusque esse possit nulla habita publicae salutis ratione, vel si singulare alicuius bonum cum bono communi collidatur, & versa vice, Civitas aut corrupta est aut imperfecta.

§. 3. *De Imperio publico*.

Omnis obligatio hypothetica ex consensu & mutuis promissionibus. In Civitate quisque promisit omnibus se propriis viri-

(1) Revocanda huc sunt principia omnia, quae supra circa societatem in genere constituimus.

bus omnia facturum, ut finem Civitatis aſſequatur, atque adeo omnibus quaeſitum eſt jus perfectum, actiones ſingulorum ad finem Civitatis dirigendi: omnibus igitur imperium in ſingulos competit, quod in Societate civili *Imperium publicum*, ſeu *civile* dicitur.

Ergo pactum ſociale nempe promiſſio ſingulorum erga omnes origo & fons Imperii Civilis. Imperium eſt ens morale, quod a pacto ſive conſenſu ortum ducit, ſinguli in omnes per pactum ſociale imperium tranſtulerunt, omnes ſocii ſunt Populus, principio igitur Imperium publicum apud Populum eſt.

Jus ſociorum omnium in ſingulos finis ſocietatis dimetitur in genere, ut alibi diximus, ergo & Imperii publici limites & jura a conſilio & obiecto Civitatis circumſcribuntur.

Imperium igitur civile omnium in ſingulos eas actiones tantum, quae aliquo pacto ad finem Civitatis referuntur, moderabitur: in ceteris a Legibus naturalibus Cives diriguntur; cum enim ſocietatem inierunt, ſpoponderuntque ſe collatis viribus commune bonum promoturos non praeſumun-

tur eas actiones Imperio publico subiecisse, quae nullam ad salutem publicam, sive commune bonum rationem habent.

§. 4. *De Libertate Civitatis*.

Cum Cives homines liberi sint, & Populi Imperio tantum nonnullas subiecerint actiones, quae ad finem Civitatis consequendum rationem habent, sequitur eos & singulatim & simul sumptos libertate naturali gaudere quod ad eos omnes, qui extra Civitatem sunt, libertas enim nonnisi consensu & pacto exuitur. Civitates igitur inter se haberi possunt, tamquam personae morales in statu naturali viventes, nec una alteri subiicitur nisi pacto intercedente.

Ergo Populi Imperium civile summum est & absolutum, in juris enim quaesiti sive Imperii sui exercitio a nullius arbitrio pendet.

§. 5. *De Translatione Imperii*.

Cum quisque possit de juribus, rebusque suis statuere ex sententia, manifeste liquet Populo licere jus Imperii ex sociali pacto sibi quaesitum vel apud se retinere & administrare, vel etiam in alium transferre, si libeat. Itaque post sociale pactum, de Imperio retinendo vel transferendo deliberent Cives oportet, & suffragium ferant.

Si imperium igitur transferendum, Populo jus eft eas conditiones translationi apponere, quae magis expedire videbuntur, Populus enim ftatuit de jure fuo, atque adeo illud vel abfolute, vel fub conditione nemine contradicente transfert, & uti Populus ftatuit ita jus efto.

Perfona illa vel fingularis vel moralis, in quam translatum eft civile Imperium, *Rector Civitatis*, vel *Summus Imperans*, aut *Princeps* dicitur, eiufque obligationes & jura partim a natura & indole delati Imperii, partim a Populi tacita vel expreffa voluntate definiuntur.

Si nulla appofita conditione Imperium fuum fummum & abfolutum in alium Populus transferat, animadvertendum maxime eft an illud quod ad exercitium tantum, an etiam quod ad fubftantiam tranftulerit. In utraque hypothefi Imperium quidem fummum & abfolutum translatum eft, in prima tamen Civitatis Rector eius ufum tantum & exercitium habet, nec de eo tamquam de jure fibi proprio ftatuere poteft, in altera autem Imperium tamquam jus proprium poffidet: In prima jus fummi Imperii faltem in

potentia, ut ajunt, apud Populum eſt, in altera apud Rectorem Civitatis, ſeu Principem.

Id quidem probe notandum eſt, ex hoc enim principio illuſtrium in Jure noſtro controverſiarum omnis pendet diiudicatio & ſolutio.

§. 6. *Ex Imperii translatione conſectaria*.

I. Falſa igitur eſt & abſurda nonnullorum ſententia, qui ſummum Imperii jus ſemper eſſe apud Populum dixerunt, Imperatores autem nil aliud eſſe, quam Populi ipſius adminiſtros, & voluntatis generalis executores, qua quidem opinione nil periculoſius, nil ad excitandos hominum motus accommodatius, ut legitimi Principis detrectent imperium non ſine publicae ſecuritatis diſpendio, & totius Civitatis excidio (1).

---

(1) Imperium, inquiunt, eſt voluntatis generalis exercitium, at voluntas generalis in alium transferri nequit, ergo nec Imperium. Hujuſcemodi argumenti fallacia in definitione Imperii ſita eſt. Imperium enim Civile eſt Jus determinandi actiones Sociorum, ſeu Civium ad commune Bonum, quod quidem

Non inficiandum quidem id volente populo fieri poſſe: quin ſi Imperium quod

---

jus a pacto ſociali, ſive a promiſſione ſingulorum erga omnes ortum ducit. Hoc jus principio ad univerſos pertinet, & univerſi Cives ſeu Socii ſimul ſumpti ſunt Perſona Moralis Imperans, ſive il Sovrano. *Ea jus habet ſeligendi media, quae ad finem Civitatis aſſequendum aptiora videntur, media autem ſunt Leges. Poterit igitur vel ipſa per ſe inveſtigare & eligere Leges, vel uni aut pluribus eam curam demandare ad tempus, in perpetuum &c. vel irrevocabiliter illud jus in alium transferre, ſtatuit enim de re propria, & de jure ſuo, cum Imperium Civile reipſa ſit jus, non exercitium; exercitium enim eſt actus ipſe imperandi, quod ab ipſo Imperio ſive jure Imperii differt. Itaque vix concipi poteſt, cur Populus in alium transferre exercitium, juris poſſit, non autem jus ipſum, quod aſſerunt inalienable; nam ſi Pater & Dominus alienandi jus habent privatum Imperium, quod alteri in filios, alteri in ſervos competit, non video cur Populo idem jus denegandum ſit, habita Imperii publici ratione, quod a privato nonniſi in obiecto differt. At in eo maxime, addunt adverſarii, differt Imperium publicum a privato, quod a ſociali pacto originem ducat.*

ad ſubſtantiam non transferat, & Rectoribus tantum executivam poteſtatem conce-

---

Pactum autem illud eſt ut ſinguli & vires & bona conferant ſub Imperio voluntatis generalis: ergo voluntas tantum generalis jus habet dirigendi vires Societatis ſeu Politici corporis, atque adeo cum publicum Imperium in voluntatis generalis exercitio & exſecutione conſiſtat, exercitium quidem, non autem ipſa voluntas transferri poteſt. Eodem tamen circulo eadem res circumagitur, eademque eſt argumenti fallacia, quam ſupra notavimus.

Sed eſto: exercitium voluntatis generalis transferatur, voluntas penes populum remaneat. Poterit quidem voluntas haec generalis poſt translatum exercitium ultra progredi, & ſtatuere ut unus vel plures vice ſua fungantur in perpetuum, & publicas dirigant vires, & ut deinceps unius vel plurium voluntas pro voluntate generali habeatur. Quinam aſſerunt in hoc voluntatis generalis actu eſſe repugnantiam & abſurditatem? Quibuſnam rationum momentis innixi id velle populum non poſſe affirmant? Quod enim regerunt Imperantem ſummum, ſive Populum Perſonam eſſe collectivam, atque adeo a perſona ſingulari non poſſe repraeſentari ineptum & deridiculum eſt, nec dignum quod refutetur.

dat, Tyrannidi fortaffe obviam ibit, fibique civilem libertatem diutius confervabit. Ab-

---

Sed haec & cetera hujusmodi quae in medium nuper protulit vir summi Ingenii & incomparabilis eloquentiae Jacobus Rouffeau *in suo Contractu Sociali Lib. 2. Cap. 2. inter cetera paradoxa enumeranda sunt, quae ille acute tamen & ingeniose propugnavit. Ea tamen non nova sunt. Cum Belgae Hispanorum jugum excusserunt multa hinc inde disputata sunt de Juribus Populi & summi Imperantis. Utriusque causam egerunt* Armacanus, *sive ut nonnulli censent* Cornelius Janfenius, & Martinus Schookius: *& occasione, qua Lusitani ab Hispanis defecerunt conscripta multa sunt, in Lusitanorum defensionem a* Caramuele Lobkovitz *in* Philipp. *prud. ab* Antonio de Soufa *in Hispan. liber. & ab* Aegyra *De succefs. Portugall. Fatum autem* Caroli I. *Regis Angliae in causa fuit ut eadem jura excuterentur, de quibus scripsit* Joannes Miltonius *pro Populo*, Claudius Salmafius *pro Rege. Unde* Monarchomachorum, & Antimonarchomachorum *sectae & nomina emerserunt. Pro re nata de eodem subiecto scripserunt* Georgius Buchananus *De Jur. Regn. Scot.* Marius Salomonius *De Principatu.* Stephanus Junius Brutus, *sive ut nonnullis placet* Phi-

ſurdum tamen mihi videtur illud quod aſſerunt, jus nempe ſummi Imperii, quod populo competit, alienari non poſſe, idque cum pacto ſociali, ſive civilis Societatis natura pugnare; alienatio enim iſtiuſmodi nec generalibus naturae legibus, nec obiecto & conſilio Civitatis adverſatur, & in nonnullis Populorum Regnorumque conditionibus una fortaſſe eſt publicae ſalutis expedienda via. At alienatio facile in abuſum, & in populi detrimentum & perniciem aliquando verget. Eſto: non tamen quaero quid ſaluti publicae ut plurimum expediat, ſed tantum quid ſit

---

lippus Mornaeus, *aut* Hubertus Languetus *Vindic. contr. Tyrann.* Franciſc. Hotomann. *in Franco-Gall. & in Lib. De Jure Regni Gall. aliique, quos vide apud* Jo. Franc. Buddeum *Hiſtor. Jur. Natur. inter Select. Jur. Natur. & Gent.* §. 52. *& ſeq. Illud tamen animadvertendum ejuſmodi Scriptores nimio partium ſtudio correptos fuiſſe, atque adeo multoties non veritatem, ſed quod cauſae, quam defendendam ſuſceperant, favere videbatur, nullo delectu in medium protuliſſe. Vid.* Grot. *Lib. I. Cap.* 3. §. 8. *& Cap.* 4. §. 1. *ibique Comment.*

juſtum. Et revera qui contrariam ſententiam tuentur non expedire potius multoties abſolutam Imperii alienationem, quam moraliter impoſſibilem eſſe demonſtrant.

II. Illud etiam animadvertendum eſt quod quamvis Populus in alium Imperium transferat etiam ſummum & abſolutum, tacita ſemper haec conditio ſubintelligitur, quod nempe ad ſalutem Populi utetur, nec aliquid jubebit quod ad finem Civitatis conſequendum, nempe felicitatem & ſecuritatem Civium non referatur. Id ex natura Imperii Civilis ſequitur; nullum enim aliud jus a Populo in alterum transferri poterat, quam quod ipſe Populus ex pacto ſociali ſibi quaeſiverat, Imperium autem Populi iiſdem limitibus erat circumſcriptum.

III. Translatio igitur Imperii publici quamvis ſummi & abſoluti translatio eſt juris conditionata. De juribus eorum qui pactum ineunt ſub conditione alibi diximus.

IV. Et cum, ſi Imperium translatum minime fuiſſet, eius actus omnes voluntatis generalis actus fuiſſent, Princeps in quem abſolutum & ſummum Imperium translatum eſt, ſi ut Princeps, agit voluntatem generalem reprae-

repraesentat, & idem velle & jubere ac si Populus esset praesumitur.

V. Itaque singuli jussa Imperantis facere tenentur, nec privato alicui jus est resistendi, aut eius actus irritos faciendi, voluntatis enim generalis quam repraesentat Imperium est absolutum & summum, cuius praecipuus character ille est, ut eius jussa nullus privatus irritare possit.

VI. Et cum voluntas generalis nil aliud velle possit quam felicitatem & securitatem publicam, quippe quae ex singulorum voluntatibus constat, qui eo consilio in Civitatem coiverunt, illud praecipuum Imperantis officium est, ut media ad salutem publicam consequendam necessaria diligenti perpetuaque indagine inquirat, eaque Populo proponat, & exsequenda curet.

VII. At si quando boni communis specie decipiatur Imperans, & ea jubeat, quae parum sint ad finem Civitatis assequendum accommodata? Neque tunc privato cuiquam esse jus resistendi dicimus, tum quod summi & absoluti Imperantis nullus Judex esse possit, tum quod aliquando erraturum fore Imperantem praesumitur probe novisse Po-

pulum, ac erranti tamen obtemperare voluiſſe, cum ei ſummum & abſolutum Imperium tradidit. Nonne & Reipublicae pars major, quae pro generali voluntate habetur ſpecie recti moveri, atque decipi potuiſſet? Nonne tamen ſinguli diſſentientes etiam ad obedientiam obligarentur? Cur non igitur Imperanti, qui voluntatem generalem repraeſentat?

§. 7. *An Imperium publicum ſit diviſibile. De Imperio limitato, & de Legibus fundamentalibus.*

Finis Civitatis felicitas & ſecuritas Civium. Felicitas multis elementis conſtat, multaque & diverſa inter ſe ſunt media, quae ad finem Civitatis aſſequendum ducunt, atque adeo Imperii jura diverſa ſunt, quae concipi poſſunt tamquam ſeparata. Si igitur Populus in delatione Imperii ſibi velit jura quaedam ad Imperium ſpectantia reſervare, poterit quidem: poterit etiam ea in Perſonam ab Imperante diverſam transferre, neceſſe enim non eſt ut jura omnia quae ad Imperium publicum ſpectant in eadem perſona ſint. Imperium tamen quamvis ex parte diminutum ſummum & abſo-

lutum erit, si Populus ita jusserit. Eo pacto jura summi Imperii divisa fuisse & veteris & recentioris historiae monumenta manifeste declarant.

Si igitur Populus vereatur ne Imperans jure absoluto aut dolo, aut imperitia abutatur, aut ex parte diminutum Imperium transfert, aut Leges quasdam statuit, juxta quas Imperii jura exercenda sunt, quae tamquam expressae conditiones delato Imperio appositae haberi possunt, & quae vulgo *Leges fundamentales* dicuntur.

Quapropter si Imperans, cui summa delata est potestas, generali tantum jureiurando se obstringat se rem Civitatis publicam recte administraturum, nil nisi quod ad salutem & securitatem Civium spectat jussurum, & cetera id genus, non ideo Imperium ex absoluto fit limitatum; jusiurandum enim illud, si nihil peculiare & particulatim expressum contineat, non differt ab ea generali obligatione, qua Imperantes omnes tacite & implicite obstringi diximus: quippe Legum fundamentalium character is est, ut conditiones sint speciatim expressae, quae

Imperii exercitium certis finibus circumſcribant.

Cum igitur quantitas juris Imperanti conceſſa una Populi voluntate ponderanda ſit, ſi Imperium translatum ſit limitatum, manifeſte patet Imperantem in exercitio juris ſui Leges fundamentales violare non poſſe, eas autem moderari, temperare, atque etiam abrogare omnino ad Populum pertinere.

Quaeſitum eſt an ſi forte acciderit ut Leges fundamentales cum ſalute publica confligant, jus ſit Imperanti, cui publicae ſalutis cura demandata eſt, eas inconſulto & irrequiſito Populo, oblata quaſi neceſſitate, infringere, & non poſſe in genere dicimus, niſi Populus expreſſe neceſſitatis caſum exceperit; potius enim alicuius detrimenti periculum, quam Imperatoriae poteſtatis abuſum ſubire voluiſſe Populus praeſumitur. Videtur igitur ad Populum referendam neceſſitatem a Civitatis Rectore, & exceptionem Legis poſtulandam.

In praeſenti tamen & ſummo Civitatis diſcrimine, cum nec conſulendi Populi copia & tempus eſt, optimum Principem

eum esse arbitror, qui fundamentalem Legem violat quidem ex praesumpta Populi voluntate, at statim ac potest causam violationis Populo exponit ut eam ratam habeat, suaque confirmet auctoritate. Hoc pacto & publicae saluti consulitur juxta supremam naturae Legem, & Populi jus non laeditur.

§. 8. *An Regnum possit esse aliquod Patrimoniale.*

Quaesitum est etiam an Imperium in patrimonio Imperantis esse possit, de qua re innumerae editae in vulgus sunt Juris nostri Consultorum disceptationes (1), quas tamen si attento etiam animo evolvas quid tandem de hac celebri controversia statuendum sit vix intelliges. Videamus si tantam litem dirimere ex nostris principiis nobis facultas est. Omne a definitione Patrimo-

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 1. *Cap.* 3. §. 11. Pufend. *De Jur. Nat. & Gent. Lib.* 8. *Cap.* 5. §. 1. *ibique Comment.* Henr. Cocc. *Auton. Juris Gent. Cap.* 12. Casp. Beckii *Disp. De Jur. Regn. Patrimon.*

nii pendet tantae diſſenſionis judicium. Si igitur Patrimonium includit jus utendi, abutendi re propria, & de ea ſtatuendi ad ſuam tantum utilitatem, niſi in ipſa meridiana luce coecutire velis, fatearis oportet Imperium quamvis ſummum plenum & abſolutum nunquam in patrimonio haberi poſſe. Imperium enim publicum jus eſt determinandi, ſeu dirigendi actiones Civium ad finem Civitatis aſſequendum, finis Civitatis felicitas & ſecuritas Populi, ergo Imperium publicum ob utilitatem parentium, atque adeo nullum aliud jus Imperantis niſi ut publicam ſalutem ſapienter & integre tueatur; at Patrimonium in hypotheſi jus utendi abutendi re propria includit, & ad unam domini utilitatem refertur, ergo patrimonium cum Imperii natura & indole pugnat, nec una res diverſiſſimae conſiſtere poſſunt. Huc accedit quod cum abuſus includat jus peſſumdandi, perdendi, deſtruendi rem propriam, nemo eſt qui poſſit jus iſtiuſmodi in alium transferre, atque adeo nec Populus in Imperantem.

At homo liber poteſt ſe in perfectam, perpetuamque ſervitutem dedere, cur &

Populus non possit? Poterit quidem, at si rectae rationis potius quam Legum Romanarum praecepta ponderentur, nec domino jus est servum quasi mancipium & jumentum habere. Huc accedit quod multitudo hominum istiusmodi non Populus non Civitas dicitur, sed servorum familia, quibus tamen contra iniustam domini vim & saevitiam vel fuga, vel violenta defensione natura jubente sibi consulendi jus est.

At victos in bello captos victor necare potest, multo magis eos in perfectam servitutem redigere. Falsum est, uti jam monuimus (1), victorem captivos necare posse, si alio pacto eorum impetum refraenare, animumque compescere hostilem ei facultas sit, falsum igitur quod exinde deducitur consectarium; nam ex eo ipso quod captivos in servitutem redegerit apparet sibi ab iis cavere potuisse, atque adeo eorum internecionem nec fuisse necessariam, nec licitam.

---

(1) *Vid. P. I. Cap.* 7. §. 8. & 14. *Coroll.*

Si vero Imperium patrimoniale illud eſſe intelligunt quod ſummum, plenum, & abſolutum translatum eſt in alium ea lege ut habeat tamquam rem propriam, illudque vel actu inter vivos, vel ſupremis tabulis ei relinquat, qui ipſi videbitur ad imperandum aptior, fatemur Imperium iſtiuſmodi eſſe & concipi poſſe (1), dummodo quiſquis

---

(1) *Vid.* Jo. Fr. Budd. *Select. Jur. Natur. & Gent. Praefat. ad Lector. p. m.* 32. *& Diſſert. De Teſtament. Summor. Imper. ſpec.* Carol. II. *Hiſpan. Reg.* §. 21. *& ſeqq. Innumera ſunt tum in veteri, tum in recentiori hiſtoria Regnorum exempla, quae vel Teſtamento vel actu inter vivos ab Imperante in alium translata ſunt. Vid.* Grot. *Lib.* 1. *Cap.* 3. *n.* 12. *quod ad antiqua exempla, quod ad recentiora* Dumontium *in Corpore univerſ. Diplom. ubi frequentiſſima ſunt Principum Teſtamenta in quibus de jure Regni ſtatuitur. Eodem jure & actu inter vivos ab uno ad alium jus Imperii multoties translatum eſt. Hoc pacto non multis ab hinc annis Lotharingia primum* Stanislao *Poloniae Regi, dein Gallis, Hetruria* Franciſco I. *Caeſari, Parmae & Placentiae Ducatus* Philippo *Hiſpaniarum*

Imperans fuerit eo tantum utatur salutis & utilitatis publicae gratia. Sine hac vel tacita vel expressa conditione nullum Imperium civile legitimum.

CAPUT II.

De diversis Rerumpublicarum formis.



§. 1.

Si Imperium igitur summum & absolutum, nullisque circumscriptum limitibus, quale hactenus descripsimus, penes Populum universum est, Status Civilis *Democratia* dicitur, si ad personam singularem transfertur *Monarchia*, si ad moralem *Aristocratia*. Hae quidem sunt Reipublicae, seu Civilis Status formae simplicissimae; nam ad Aristocratiam *Timocratia* Aristote-

---

Infanti cessit. Vid. publica Foedera Vienn. 1738. *Wormat.* 1743. *Aquisgran.* 1748. *apud* Mably *Droit pub. de l'Europ.*

lis commode referri poteſt (1). In prima *Imperans*, ſive *Princeps* eſt Populus univerſus, Civis unuſquiſque vero eſt ſubditus, in altera Monarcha, in tertia Ariſtocrates, qui & Optimates dicuntur, ſimul ſumpti tamquam perſona moralis, ſinguli autem ſubditi ſunt aeque ac reliqui Cives. Dignitas Imperantis *Majeſtas* dicitur.

At cum Populus in delatione Imperii ſummum & abſolutum imperandi jus temperare poſſit iis modis, qui ad finem Civitatis aſſequendum aptiores ipſi videntur, tot emergunt diverſae Rerumpublicarum formae (2), quot eſſe poſſunt Imperio de-

---

(1) Vid. Ariſtot. *De Rep. Lib.* 3. *Cap.* 4. *&* 5. *Lib.* 4. *Cap.* 2. Huber. *De Jur. Civitat. Lib.* 1. *Sect.* 8. *cap.* 5. §. 8.

(2) Quapropter nec facile numerari, nec firmis certiſque limitibus deſcribi poſſunt. Inter Reſpublicas mixtas digna tamen eſt quae memoretur Reſpublica Foederata, utpote quae ceterarum omnium contra internam externamque vim potentiſſima, in qua non unus Populus, ſed plures ita ſociantur, ut univerſitatem, ſeu perſonam moralem conſtituant, quae ex ſingulis Populis, tamquam individuis

lato expressae conditiones appositae, sive Leges fundamentales, & quae uno vocabulo *Respublicae mixtae* dicuntur, non ut nonnullis placet *irregulares*; tres enim illas tantum simplicissimas quas exposuimus Reipublicae formas regulares & perfectas nonnulli vocant. Fortasse eo nomine decorari merebantur cum primum homines & vitae

---

constat, in eamque summum & absolutum Imperium transferunt in eas actiones tantum, quae ad felicitatem & securitatem generalem totius Gentis, sive Societatis universae referuntur, in ceteris autem a nullius arbitrio pendent, ita ut quisque Populus liber sit & autonomus in interna Reipublicae administratione, in externa subditus; actiones enim omnes, quae ad salutem Societatis universae referuntur, universitas ipsa Populorum qui foedere juncti sunt, determinat: quae autem actiones sint quae ad salutem universitatis referuntur, a Foederis legibus, quae Leges consociationis, sive fundamentales nuncupantur, constituuntur. Ejusmodi foedere juncti erant antiquitus Etrusci, Achaei, Lycii, aliique quos vide in nostro Libello De Etruscorum Regimine, *nostris autem temporibus Belgae, & Helvetii.*

ſimplicitate, & ruſticitate conſpicui parum a naturae inſtitutis deſciverant, ſed poſtquam pro temperantia & innocentia luxuria, avaritia & ambitio animos eorum inceſſit, imperfectas potius dicendas puto, in iis enim ſimplicibus formis jura Civium in perpetuo verſari diſcrimine longo experimento conſtat, quod quidem vitare fortaſſe nefas, niſi ſimplices formae una permiſceantur, & quo magis hominum crevit malitia, eo artificioſius Civilis Status digeſtus, maiori circumſpectione componatur.

Principe conſtituto is Imperium exercet intra fines Territorii Gentis illius, quae ipſi Imperium detulit: quisquis in Territorio eſt voluntati eius obtemperat ſive indigena, ſive advena ſit, qui enim intra fines Territorii immoratur tacite conſentit ſe juſſa Imperantis facturum, de qua re uberius cum de Jure Gentium dicemus.

§. 2. *De Autonomia Gentium & Libertate Civili.*

Quamvis Imperio publico conſtituto ſinguli qui in ſocietatem coiverunt naturalem libertatem exuerint, eaſque actiones, quae ad commune bonum referuntur, pu-

blicae auctoritati dirigendas subiecerint, simul sumpti tamen, & si Gentis ad Gentem, Populi ad Populum ratio habeatur, liberi sunt & autonomi; *autonomus* autem Populus dicitur cum in administranda Republica a nullius arbitrio pendet. Cum autem in se spectatur, si non naturaliter, saltem civiliter liber est Populus: libertas autem civilis in Populo esse dicitur, si in Civitate Lex tantum, non vis & arbitrium valet, & si is penes quem est jus Leges ferendi ita sit fundamentali sanctione constitutus, ut non possit alias condere Leges, quam quae sunt saluti & felicitati publicae promovendae accommodatae.

§. 3. *De publici Imperii exercitio in Democratia.*

Si Populus per se Imperium publicum exercere velit, Comitia necessaria omnino sunt, nisi enim in condictum locum universus conveniat, eius voluntas, quae ex singularibus cuiusque Civis voluntatibus constat, nullo pacto colligi potest; atque adeo nec velle, nec jubere, nec aliquid legitime constituere dicitur nisi in Comitiis.

Cum autem comitia perpetua phyſice impoſſibilia ſint, Populus quotidianum Imperii exercitium aliis committat oportet, jus autem ſibi relinquat negotia publica, quae dilationem patiuntur diiudicandi & expediendi in comitiis tum ordinariis tum extraordinariis, quorum locum tempus & ordinem ex ſententia ſtatuit.

Poſtquam igitur inter conſocios convenit de Democratica forma, quod univerſo Populo placuit id *Lex* dicitur; ex regulis autem generalibus, quas ſupra de ſocietate in genere tradidimus, manifeſte liquet id Populum, ſive ſummum Imperantem voluiſſe quod maiori ſociorum parti placuit, niſi aliter fundamentali Lege in quibuſdam publicis negotiis expediendis fuerit conſtitutum.

Lex lata igitur utpote ſummi & abſoluti Imperantis actus a nemine irritari poteſt, atque adeo & diſſentientes obligat, qui voluntati generali, ſive ſummo Imperanti ſe obtemperaturos promiſerunt per pactum ſociale: quin & Legis effectus diſſentientibus etiam ſaltem externe imputari poſſunt & debent, nam interne ſuis tan-

tum auctoribus actiones propriae imputantur.

Ceterum ii, quibus Legum exsecutio commissa in Democratia, Jurisdictionem Populi nomine exercent quamdiu ipsi expedire videbitur. Si quid novum emergat quod Legibus cautum non sit, comitia Populi indicuntur, apud quem summum est & absolutum Imperium.

Populi est etiam statuere cui jus esse debeat comitia extraordinaria convocandi, qui suffragiorum numerus pro suffragio generali habendus, quid agendum si suffragia paria sint, quis ex Populo suffragii jus habere debeat, quodnam jus absentium a comitiis, an singuli comitiis adesse, an potius Gens omnis in varios ordines distribui, & ab unoquoque ordine homines delegati ad comitia mitti debeant, qui ordinis totius suffragium ferant, cui jus committendum negotia in comitiis pertractanda proponendi, cui suffragia colligendi, & cetera id genus, quae ad praxim politicam spectant, & quae varia esse possunt juxta constituentium voluntatem, & loci & temporis conditiones.

Illud praecipue in ſtatu Democratico eſt diligentiſſime & ſumma praecavendum ſedulitate, ne Senatus vel perſona illa moralis, cui quotidianum Imperii & adminiſtrationis exercitium eſt demandatum, ſenſim pedetentimque jura Majeſtatis occupet, & indebitam invadat poteſtatem. Populus igitur veterum uſurpationum exemplo edoctus, novas ſemperque libertati ſuae impendentes uſurpationes timeat, & perpetua vigilantia compeſcat oportet; conſtat enim ex veteri hiſtoria Reſpublicas Democraticas facile ad Ariſtocratiam, & Oligarchiam dilabi, tandemque rerum omnium ſummam ad unius tantum deferri Imperium. Sed haec & alia eiuſdem generis, quae de adminiſtranda, ordinandaque Republica adnotare poſſem, ad Artem Politicam ſpectant, quam quidem non contineri in Diſciplina noſtra jam monui, in qua non quid particulatim expediens & utile in quibuſque humanae vitae conditionibus quaeritur, ſed tantum quid juſtum.

§. 4. *De eiuſdem exercitio in Ariſtocratia.*

Quae de Populo diximus facile ad Optimates, ſeu viros Patricios traduci poſſunt, qui

qui Populi pars sunt, eumque repraesentant; in eos enim Populus universus Imperium detulit, an vero summum & absolutum, an minus plenum & limitibus circumscriptum a Legibus fundamentalibus est deducendum.

In ea igitur Reipublicae forma & voluntas generalis Patriciorum, sive Imperantis a pluralitate suffragiorum deducitur, & comitia, & Magistratus, penes quos sit Imperii exercitium, constituuntur, & cetera in ordinem rediguntur, uti in Democratia diximus, vel Populo jubente in ipsa Imperii delatione, vel universali Optimatum sententia, si Imperium summum, plenum, & absolutum in ipsos translatum est.

§. 5. *De eodem in Monarchia.*

Cum Populi jura omnia in Monarcham translata sint, eo jubente negotia publica administrantur omnia, neque ulli rationem reddere tenetur, nisi aliter Legibus fundamentalibus cautum sit. Si Leges eiusmodi sint, quae summae Potestati fines ponant, & absolutam coerceant auctoritatem, Imperium Monarchae delatum *Regnum legitimum* dicitur.

De Regnis legitimis aliquid certi ſtatuere nefas, quippe quae differunt inter ſe juxta Legum fundamentalium diverſitatem, quae quidem arbitrio Populi conſtituuntur; atque adeo a Monarcha, cui jus Imperii plenum & abſolutum delatum eſt, ad Lacedaemonis Ephoros innumeri ſunt gradus intermedii, quos enumerare nec neceſſarium, nec utile. Illud quidem certum eſt in quibuſcumque Rebuspublicis mixtis, quo & Regnum legitimum refertur, Leges fundamentales jura Imperantis, eiuſque auctoritatem dimetiri.

Sunt qui de Regno herili verba faciunt, quaſi ſtatus ille hominum, in quo omnia ad heri ſive domini utilitatem referuntur, civilis dici poſſet. Quid de hoc ſtatu ſentiendum monuimus cum de Regnis patrimonialibus diſſerebamus: illud hic loci addendum, quod quamvis fieri poſſit, ut multitudo hominum in perfectam ſervitutem ſe tradat, ſibi tantum paciſci poterit, non filiis, quibus libertatem naturalem praeripiendi nemini jus eſt.

§. 6. *De Regno electivo, ſucceſſorio, & haereditario.*

Cum jús omne Imperantis a voluntate Populi pendeat, manifeſte patet eo vita functo Imperium publicum ad Populum regredi, niſi in Imperii delatione fundamentali Lege aliter cautum ſit. Si igitur Populus vel ipſe per ſe, vel per alios velit defuncto Regi ſucceſſorem deſignare *Regnum electivum* dicitur: ſi turbarum & contentionum metu Imperium ita detulit, ut Regi ſuccedat qui in bonis eiùs ſuccederet ab inteſtato juxta Civitatis Legem *haereditarium*, ſi autem expreſſam ſucceſſionis Legem dixerit, *ſucceſſorium*. Haereditarium tamen vix a ſucceſſorio differt tum quod praecedente Lege cautum eſt quis eſſe debeat & gradus & ordo ſucceſſionis in bonis defuncti; tum quod expreſſe vel tacite voluiſſe Populus praeſumitur ut eo pacto ad Regni haereditatem ſuccedatur, quo controverſiae vitentur, & felicitas publica nullum patiatur detrimentum, ut infra uberius explicabitur. (1)

(1) *In Polonia Regnum eſt electivum,*

§. 7. *De Succeſſione ad jus Imperii Corollaria.*

I. Si Regnum electivum ſit, Rege vita functo, cum nullus ſit qui ſuccedendi jus habeat Imperium ad Populum recidit, illudque ſive per ſe ſive per alios ex ſententia exercet, & ſi velit novam Reipublicae formam conſtituere, nemine contradicente poteſt, nec ad novum eligendum Regem obligatur.

II. Rex legitime electus poſt Imperii acceptationem contractum quemdam cum Populo iniit, in quo ſe regnaturum ſpopondit, Populus autem eius juſſa facturum promiſit: nec Rex igitur Regnum abdicare Populo contradicente, nec Populus jure quaeſito eum privare licite poteſt.

III. Et cum nemo Regnum habere poſſit, niſi Populus in id aut tacite aut expreſſe conſenſerit, ſi Imperium abſolutum ea Lege delatum eſt, ut Imperans ſibi ſucceſſorem eligat, Imperans non differt a

---

apud nos haereditarium, in Galliis ſucceſſorium juxta Legis Salicae ſanctionem.

persona, cui vacante Imperio, seu potius Rege defuncto, electionem novi Regis commiserit, atque adeo filios etiam, si velit, praeterire poterit (1). In ea constitutione si Rex intestatus decedat Imperium ad Populum recidit, nisi longa consuetudine & praesumpta Populi voluntate haereditarium factum sit.

IV. Quaesitum est an Princeps huiusmodi possit Regnum in partes subiectivas dividere. Distinguendum censeo an Regnum de quo agitur illud sit quod tamquam unum & indivisum eius Imperio primum commissum fuerit, ita ut una sit & indivisa Populi, sive Gentis eiusdem consociatio; an vero aliae Gentes, sive Populi liberi eidem Regi se subiecerint. In primo casu asserimus Regnum in partes subiectivas dividi

(1) Petrus *cognomento* Magnus *Russorum Imperator* Catharinam *uxorem suam Nepoti ex Filio adhuc impuberi in successione antepofuit. Nonne ea* Lex *omnium optima?* Augustus, Trajanus, Adrianus, Antoninus Pius, Marcus Aurelius *optimi Principes adoptioni, non fortuitae generationi debentur.*

nullo pacto posse, nisi Populo consentiente, tum quod qui societatem unam inierunt separari invicem nullo pacto possunt, tum quod cum Princeps in hypothesi nil aliud sit quam elector futuri Regis a Populo constitutus, nullum aliud jus habet, quam personam designandi, cui jus integrum ipsi concessum a Populo deferat: in altero autem poterit Imperium dividere, nam tot personas quodammodo habet quot sunt Gentes, sive speciales Societates, quae ipsi summum detulerunt Imperium (1).

V. Exinde etiam sequitur in Regnis haereditariis filium natu maiorem, non feminas, non omnes filios pro rata ad Jus Imperii succedere; nam quamvis Populus jusserit ut in Regno succedat is qui in bo-

---

(1) In Galliis sub prima & secunda Regum stirpe Imperium fuit divisibile, ut in plerisque Europae Regnis, quae Feudali administrabantur regimine. Procedente tempore cum Reipublicae status artificiosius sapientiusque ordinari & constitui coepit fere ubique vel longa consuetudine, vel Lege fundamentali individua facta sunt Imperia Gentium.

nis paternis ab intestato successisset, attamen id voluisse praesumitur quantum Imperii Civilis natura patiebatur & Civitatis ipsius obiectum. Itaque ex Societatis natura & indole manifeste patet praesumi non posse Populum in divisionem subiectivam Imperii consensisse, consensum autem Populi juris Regii mensuram multoties esse diximus. Cum igitur non alio consilio Regnum haereditarium constituisse Populus praesumatur nisi ut turbis obviam iret, certumque haberet in Regno successorem, si Regi eiusque successoribus absolute Imperium tradidit, voluisse dicendus est ut maior natu, qui prior jus eventuale ad Regnum quaesivit, is etiam ceteris exclusis succedat, eo enim pacto & dissensiones & turbae evitantur, & successor certus habetur, quae duo maxime Populum voluisse in Regni haereditarii constitutione diximus (1).

(1) *Dubitatum est a nonnullis an, si Imperium haereditarium delatum sit privato Civi, qui jam filios genuerit, is qui natus est*

VI. Illud etiam ex natura Imperii ſequitur Populum tacite excluſiſſe ab ordine

---

Patre Imperante natu maiorem in privata fortuna genitum vincat & excludat a Regiae ſucceſſionis jure, & non excludendum verior ſententia mihi videtur; Populus enim, qui ſimpliciter Regi eiuſque ſucceſſoribus jus Imperii tradidit, & ſucceſſores jam genitos intellexiſſe praeſumitur, ii enim in ipſo generationis facto fundatum habent, ut Scholae aiunt, jus ad paternam ſucceſſionem & haereditatem, quae non tantum jura Patri competentia cum filius gignitur, ſed & quae ad eum ſpectant mortis tempore complectitur. Attamen de ea re & verbis & armis multoties diſceptatum eſt olim inter Darii Filios Artamenem *ſive* Artabazanem, *&* Xerxem, *poſteriore vero aetate inter* Othonem *magnum, &* Henricum *fratres, inter* Bajazetem II. *&* Zizimium *Mahumetis filios, inter* Ludovicum *&* Galeatium Sfortias *&c. Vid.* Herodot. *Lib.* 2. Plutarch. *De Fratr. amor.* Juſtin. *Lib.* 2. *Cap.* 10. Barbeyrac. *Recueil des ancien. Trait. P.* 1. *pag.* 86. Guicciardin. *Hiſtor. Lib. I. Litteras* Maximiliani *Caeſaris, in quibus* Ludovico Sfortiae *Inveſtitura Ducatus Mediolanenſis tribuitur apud* Philipp. Comines *Lib.* 7. *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *cap.* 7. §. 28.

successorum eos, qui invincibili mentis vitio imperandi incapaces sunt. Ii tamquam non nati habentur (1), Regnumque ad eum qui proxime succederet devolvitur, non tamen exclusi intelliguntur minores.

VII. Cum igitur non Regis, sed Populi voluntate, qui primam de ordine succedendi legem constituit, quisque ad Regnum accedat, necesse non est ut idem sit Rex, & haeres defuncti Regis; quin poterit haereditatem privatam repudiare, & in Regnum tantum succedere & in bona Publica vel Regia: bona autem Regia dicuntur, quae ex publicis vectigalibus & tributis colliguntur, quaeque publicis oneribus sustinendis, perpetuoque Regis decori servando inserviunt; privata vero quae ex privatae familiae bonis, sive ex aliena haereditate Regi obveniunt, & quae *Allodialia* dicuntur. Haec alienari a Rege possunt, & in quos

---

(1) Exemplum esto Philippus Antonius Caroli III. *Hispaniarum Regis Filius, qui tamquam non natus habitus est quod ad Neapolitanam & Hispanicam successionem.*

velit uſus converti, altera non item, atque adeo in ea legitimus Rex ſuccedit (1). Sed de his clarius infra cum de *Domaniis* agemus.

VIII. Si de ſucceſſione ad Regnum controverſia ſuboritur, Populus ipſe judex eſto: non externae Gentes, non ipſi inter quos controverſia ſuborta eſt aut armis aut tranſactione litem diriment; illae enim nullum judicandi jus habent, hi non vi armata, non privatis contentionibus, ſed Populi tantum voluntate jus ad Regnum acquirere poſſunt (2). Velit igitur jubeat Populus, ad quem, ſi ordo ſucceſſionis incertus eſt, Imperium interim recidit, Legem ſucceſſionis aut expreſſam, aut tacitam interpretetur, & judicio ſuo lis dirimatur (3).

---

(1) *Ex providentia enim populi ſuccedit ſi Regnum haereditarium ſit vel ſucceſſorium, non ex voluntate defuncti.*

(2) *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 7. §. 27. Pufend. *Lib.* 7. *Cap.* 6. §. 5. *qui ſubtilibus quidem at non neceſſariis diſtinctionibus rem per ſe claram & expeditam obſcurant & implicant.*

(3) *Et quidem eo jure uſum eſſe Populum multoties legimus. Controversia inter* Eduar-

IX. Quod attinet ad Regna successoria nihil certum firmumque de jure succedendi ad Regnum decerni potest, cum in hypothesi a Lege constitutionis sive fundamentali jus omne derivetur. Successio tamen omnium optima & sapientissima videtur *linealis agnatica*, cuiusmodi ea est, quam a Lege vel consuetudine Salica in Galliis con-

---

dum & Philippum Valesium *a Populo judicata* Polydor. Virg. *Histor. Anglic. Lib.* 19. *sub init. Vid.* Réponf. pour Madam. de Longueville à un Mémoire pour Madame de Némours. *De Successione ad Regnum Aragoniae novem Judices ex tribus provinciis electi sententiam dixerunt, illudque Infanti* Ferdinando *adiudicarunt. Vid.* Joan. Marian. *Histor. general. Hispan. Tom.* 7. *Lib.* 20. *Cap.* 2. 3. 4. *ubi de ordine succedendi longa est disceptatio*. Guicciardin. *Hist. Lib.* 12. *Neocastri Senatus multoties subortam de Jure succedendi in Imperium controversiam judicavit, & non multis ab hinc annis inter multos competitores Borussiae Regis jus esse potiorem lata sententia pronunciavit, quae quidem sententia in Ultrajectensi Tractatu confirmata est*. Wattel *Droit des Gents Lib.* 1. *Cap.* 5. §. 66.

ſtitutam eſſe diximus. Eſt & ſucceſſio *linealis Cognatica*, & *Numidica*, & *Malabarica*, aliaeque permultae; quas quidem ſingillatim percenſere Inſtituti noſtri ratio non patitur (1).

---

(1) *Haec enim omnia vel ad Jus publicum particulare cuiuſque Regni, vel ad artis Politicae partem hiſtoricam pertinent, quae quidem in ipſo Operis initio me praetermiſſurum fore monebam, licet ab aliis res diverſiſſimae una omnes permixtae fuerint, atque adeo ad immenſam farraginem Diſciplina noſtra deducta. Si quis haec desiderat adeat oportet* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 7. §. 22. *& ſeqq. ibiq. Comment.* Pufend. *Lib.* 7. *Cap.* 7. *Attamen verba ſaltem definire non abs re eſſe puto*. Succeſſio linealis *dicitur, in qua Regnum ab uno ad alterum devolvitur per continuam ſeriem in linea recta, nec ad aliam ceteris propiorem ſit transitus, niſi prima extincta*. Linealis ſucceſſio *triplex eſſe poteſt, Agnatica, Cognatica primi generis, Cognatica ſecundi generis*. Agnatica *dicitur cum feminae earumque deſcendentes in perpetuum excluduntur, qualis eſt ſucceſſio Salica, ſeu juris Francici*. Cognatica primi generis *cum feminae pari jure cum maribus admittuntur ad ſucceſſionem habita tantum praerogativa aeta-*

X. Si non morientis Regis, sed Populi implicita saltem voluntate ad Regnum succeditur, Princeps nec successores legitimos exhaeredare, nec Regnum abdicare pro se

---

tis. In hac successione filia natu maior filium natu minorem excludit, neque ad eius lineam transitus fit nisi linea filiae natu maioris extincta. Eiusmodi tamen successionem nullibi constitutam legimus. Cognatica secundi generis *cum feminae non admittuntur nisi masculis deficientibus, cuiusmodi est* successio Castiliana. Numidica *cum ad Regnum admittuntur omnes Regis adgnati juxta proximitatis, aetatis, & sexus praerogativam* Liv. *Hist. Lib.* 29. *Cap.* 29. Malabarica *cum Linea regnatrix per filias Regis, non per filios producitur: qui successionis ordo & in multis aliis Indiarum, & Africae provinciis in usu est. Eius Legis rationem reddit* Raynal. *Hist. Philos. & polit. des Etabliss. des Europ. dans les deux Indes* „ Dans les Empires de Loango, & de Congo la Couronne se perpetue dans la Ligne masculine du côté des femmes, c'est-à-dire que le prémier fils de la soeur aînée du Roi hérite du Trône devenu vacant. Les peuples croient qu'un enfant est bien plus sûrement le fils de sa mere, que de l'homme qu'elle a épousé. Ils s'en rapportent plus au mo-

& deſcendentibus ſuis jam natis vel conceptis ullo pacto poteſt: ſecus pro non natis, eorum enim qui nondum extiterunt nulla ſunt jura. Ipſe tamen Imperium ſibi delatum abdicare poterit ſi legitima publicae utilitatis cauſa abdicatio fiat, & Populus in id aut tacite aut expreſſe conſentiat, in Imperii enim delatione contractum inter Populum & Regem iniri utrimque obligatorium ſupra monuimus (1). Idem intelligendum & de renunciationibus, de quibus tamdiu inter

---

ment de l'enfantement, qu'ils voient, qu'à celui de la conception, qu'ils ne voient pas. „ *Vid. Epiſt.* Patr. Petit *Jeſ. Tom.* 20. *Lettres édifiant.* Petr. de Valle P. 3. *Cap.* 6. Philipp. Bald. *Deſcript. Malabar. & Coromandel. Cap.* 17. De Real *Science du Gouvern. Tom.* 4. *Sect.* 7. *pag.* 202.

(1) *Regnorum abdicationes tum in veteri, tum in recentiori hiſtoria frequentiſſimae. Gallia, Germania, Suecia, Polonia, Hiſpania, Italia abdicationum exempla praebent complurima, quas tamen multoties non publicae ſalutis, ſed vel inanis gloriae captandae cauſa, vel praecipiti voto & immaturo conſilio factas longa & miſerabilis abdicantium poenitentia ſecuta eſt.*

noſtri Juris conſultos diſceptatum eſt; ſi enim eas Populus ratas habeat valent jure naturae, quippe quae non differunt ab expreſſa Populi Lege, qua conſtitutus ſucceſſionis ordo immutatur, & a ſucceſſione Regia certa perſona excluditur, cuiuſmodi ſunt expreſſae Leges in Anglia, Luſitania, & Ruſſia, quae veluti exceptiones generalis Legis de ſucceſſione ad Regnum haberi poſſunt (1).

---

(1) Philippus V. *Hiſpaniarum Rex ad Galliarum*, Philippus *Dux Aurelianensis ad Hiſpaniarum Regnum ſucceſſioni renunciant, et Hiſpani et Galli publico ſuffragio, et unanimi conſenſu renunciationes ratas habent. Si actus iſtiuſmodi ad ſua simplicia elementa redigantur, manifeſte patet Principes juri sibi acquisito per fundamentalem ſucceſſionis Legem renunciaſſe, Gallos autem et Hiſpanos politicae Legi de ſucceſſione latae derogaſſe quod ad perſonas tantum renunciantes; quae quidem omnia jure fieri poſſe manifeſte patet; cum enim ſalus publica ſuprema Lex sit, si Lex politica de ſucceſſione in Reipublicae detrimentum vergat, caſum eiuſmodi excipi poſſe conſenſu eorum quorum intereſt non est ambigendum. Vid.* Monteſq. *Eſpr. des Loix*

CAPUT III.

De Administratione Reipublicae & Juribus Maiestatis.



§. 1. *Consilium & obiectum generale Imperantis in administratione Reipublicae: ubi de primo Maiestatis Jure.*

EX Civitate Imperium publicum, Civitas ob felicitatem & securitatem Civium est constituta, ergo administrationis Reipublicae actus omnes eo referantur oportet, ut felicitas & securitas, sive uno verbo commune

---

Lib. 16. *Cap.* 13. De Real. *Science du Gouvern. sect.* 6. §. 61. *et seqq.* Mably *Droit publ. de l'Europ. Tom.* 2. *pag.* 108. *et seqq. Renunciatio* Philippi V. *Hispaniarum Regis fundamentum est Tractatus Ultrajectensis, quem Aquisgranensis confirmavit, quibus quidem totius Europae pax innititur.*

mune Bonum quantum fieri poteſt promoveatur. Haec ex conſociationis pacto impoſita eſt praecipua & generalis obligatio.

Jura, quae ab iſtiuſmodi obligatione ortum ducunt *Jura Maieſtatis* dicuntur, ita enim ad Imperii Civilis naturam & eſſentiam pertinent, ut ſine iis nec Reſpublica adminiſtrari, nec finis Civitatis obtineri ullo pacto poſſit.

Illud hic loci animadvertendum eſt nos in enumeradis juribus Maieſtatis Imperium Civile tamquam aliquod ens morale individuum aſſumere, atque adeo plenum, abſolutum, & ſummum quale penes Populum eſt: parum autem refert ut in Rebuspublicis mixtis jura Maieſtatis eſſentialia diviſa ſint; haec enim ſimul ſumpta Imperium conſtituunt.

His probe notatis, cum nullum Imperium intelligi poſſit, niſi hinc parendi obligatio, inde jubendi jus ſit, ſive regulas praeſcribendi, quae ad conſtituti Imperii finem aſſequendum ducant, & quae in Civitate *Leges* dicuntur, inter praecipua Maieſtatis Jura primum locum obtinet *Legumlatio*.

Idem Civitatis, idem adminiſtrationis

Reipublicae, idem Legumlationis obiectum & conſilium felicitas & ſecuritas publica, Leges enim, uti monuimus, nil aliud ſunt quam media Civitatis finis aſſequendi ſingulis ab Imperante propſita.

Felicitas omnium una eademque eſt, non tamen iiſdem elementis conſtat, non eadem paratur via; licet enim felicitatis humanae ſumma in perfectione ſui ipſius ſtatuſque proprii ſita ſit, attamen nec ad eamdem ubique perfectionis quantitatem homines capaces ſunt, neque iiſdem modis ſtatus internus & externus ubique perficitur, nec eadem ratione externa Civium felicitas cum perfecta ſecuritate componitur. Sapientiſſimum Legumlatorem dixeris qui mores hominum regendorum & indolem, ſoli quod incolunt naturam, ingenii & animi vires, locales indigentias, conterminarum Gentium vim probe perpenderit, & Leges ita temperaverit, ut maximam quam poteſt Populo felicitatem ſine ſecuritatis impendio, maximam ſecuritatem ſine felicitatis decremento paret (1).

---

(1) *Exinde patet unicuique Civitatis Rectori*

Haec tamen ad praxim prudentiamque Politicam spectant, ubi quid utile in unaquaque Republica quaeritur: nostri muneris est quid justum sit in Legibus condendis exponere.

§. 2 *De Legumlatione Principium generale.*

Nec Civitate, nec Imperio homines indiguissent, si quisque ultro & per se Naturae Legibus obtemperasset, in earum enim

onus impositum ut proprias constituat leges, quae Populi conditionibus, moribus, Religioni aptentur. Opportune Montesq. *Esprit des Loix Lib.* 1. *Cap.* 3. „ Elles (*les Loix*) doivent être tellement propres au peuple, pour le quel elles sont faites, que c'est un très grand hazard si celles d'une Nation peuvent convenir à une autre„. *Attamen nescio cui fato tribuendum sit, ut adhuc apud multos valeant vetustissimae Leges a Populo latae, cuius Maiestas, lingua, mores, Religio penitus interciderunt. Non desunt tamen qui exemplum dederint propriae Legumlationis, quod ceteri imitentur,* Victorius *nempe* Amedeus *Sardiniae Rex*, Fridericus *Rex Borussiae*, Catharina II. *Russorum Imperatrix, & Veneta Respublica, apud quam propriae tantum Leges semper valuere.*

perfecta exſecutione felicitatem & ſecuritatem poſitam eſſe non eſt qui ambigat: ergo Leges omnium ſapientiſſimae dicendae ſunt, quae exſequendarum naturalium Legum viam facilem ſternunt & expeditam, & ea omnia quae impedimento eſſe poſſunt e medio auferunt. Officia naturalia tam erga ſe ipſos, quam erga alios enumeravimus: totidem haec ſunt obiecta Legum, totidem haec ſunt Reipublicae recte adminiſtrandae principia. Huc revocentur Hominis, Parentis, Filii, Mariti, Domini, Servi &c. naturalia officia: coiverunt homines in Civitatem ut facilius ea omnia exſequi poſſent, atque adeo ſibi felicitatem veram compararent. Reſpublica igitur ab Imperante ita adminiſtretur, ita Leges condantur, ut volenti in ſtatu Civili expeditior quam in naturali officii ſui explendi via pateat.

§. 3. *De Adminiſtratione Reipublicae Canones generales.*

I. Itaque copia earum rerum in Civitate ſit oportet, quae non tantum neceſſitati, ſed etiam commoditati & jucunditati inſerviunt.

II. Quapropter & artificia (1) & agrorum cultura, & commercia interna & externa promovenda, sine iis enim non dicam quae jucunda sunt, sed ne quae sunt quidem necessaria ad vitam sustentandam comparari possunt.

III. Nisi Imperans efficere possit, ut Cives omnes commodam & jucundam vitam ducant, caveat saltem oportet ne valido Civi operam diurnam locare volenti necessaria desint. Si recte administretur Respublica, ut quis in Civitate mendicet patiendum non est (2); nam is, cui vires suppetunt, ad laborem cogendus, qui sene-

(1) *Exinde jus Imperanti definiendi numerum Civium, qui eidem artificio exercendo operam daturi sunt, vel idem vitae genus amplexuri, jubendi ne eo inconsulto egregii artifices solum vertant &c.*

(2) *Longo tamen experimento constat fere nusquam nec latis Legibus, nec poenis impositis mendicandi morem reprimi potuisse, & factum esse multoties ut egeni Cives & publicis alerentur impensis, & privatorum largitate sublevarentur contra Legum prae-*

ctute aut infirma valetudine laborant publicis ſumptibus alendi ſunt; naturali enim officio additur civile vinculum, quo univerſi ſingulis ſe obſtrinxerunt ut ex communi penu indigentibus ſuppetias ferrent.

IV. Imperantis eſt curare ut Civibus ratio non deſit animi & corporis perficiendi in iis ſaltem, quae ad commune Civitatis bonum pertinent. Huc referantur oportet Scholae, Academiae, Collegia, Univerſita-

---

ſcriptum. Sed eſt quaedam laudabilis ſane voluptas indigenti opem ferre, & propria manu miſeris ſuccurrere, & paupertate oppreſſos erigere; qua quidem voluptate non tantum cives privare, ſed & eos ob beneficentiae exercitium punire crudele nonnullis videtur; pauci enim ſunt in Civitate qui noverint ſupremam omnium Virtutem eſſe & ipſam privatam beneficentiam, ſi Reipublicae inutilis & perniciosa ſit, cohibere poſſe, & privatas virtutes omnes publicae virtuti poſtponere.. Sed homines non quales eſſe debent, ſed quales ut plurimum ſunt, reguntur Legibus, & aliter Leges, aliter Philoſophi, ut alibi monuimus, vitia tollunt, Leges quatenus manutenere poſſunt, Philoſophi quatenus mente & intelligentia.

tes publicis impensis constitutae, huc orphanorum, & pupillorum, familiarumque indigentium cura, tutela, educatio, quae omnia ab Imperante diligentissime curanda sunt: praecipue vero quae ad publicam educationem spectant; ceteri enim administrationis errores facile emendantur, qui autem in educationem influunt non item. Nam si aut negligentibus & desidiosis, aut imperitis vitiosisve praeceptoribus, aut iis tandem, quibus aliunde quam a Civitate emolumenta sperare licet, puerilis aetas informanda & instituenda tradatur, gravissimum Reipublicae vulnus infligitur, nec unius aevi spatio sanabile; quippe nova soboles ubi a prima aetate & veritatem & virtutem inverterit nec dedoceri, nec emendari ullo pacto potest: *quo enim semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.*

V. Uno verbo curet Civitatis Rector, ut quisquis officia naturalia per se explere non potest praesentem in providentia publica opem inveniat. Si inculpatae indigentiae nullum sit in Civitate subsidium constitutum, nec homines Civitatis fines assecutos esse dixeris, nec publicam rem bene & sa-

pienter adminiſtrari.

§. 4. *De abrogatione, mutatione, & authentica interpretatione Legum.*

In ipſo Legum condendarum jure neceſſario includitur etiam jus eas immutandi, abrogandi, & authentice interpretandi, actus enim iſtiuſmodi nil differunt ab ipſa Legumlatione. Excipiantur tamen neceſſe eſt Leges fundamentales, quae cum ſint conditiones expreſſae, juxta quas publici Imperii exercitium translatum eſt, contradictorium eſt Populum regiae Poteſtati certos praeſcripſiſſe fines, eique uno eodemque tempore jus conceſſiſſe praeſcriptos fines laxandi, delendive omnino. Inviolabiles igitur Leges fundamentales ſint oportet, & ſi de iis controverſia oriatur, Populus qui Legem tulit interpres & judex eſto.

§. 5. *Secundum Jus Maieſtatis* EXSECUTIO ET JUS PUNIENDI.

Hactenus de publica felicitate diximus: alterum Legum obiectum ſecuritas eſt Civium, quae in certa juris ſui exſecutione ſita eſt omni iniuriarum & offenſarum metu ſepoſito. Quod cuique tribuendum ſit, quae actiones jus alterius laedant Lex naturalis,

quam exposuimus, docet. Officium igitur Imperantis illud erit, ut in eo quod justum est inter Cives decernendo ab Justitia naturali minimum recedat, cum id salva Republica fieri potest, subditosque ab aliena iniuria tutos omnino praestet.

Sed jus Legum condendarum nullum omnino esset, nisi cum altero connexum fuerit cogendi per vim homines ad praestandum id quod a Lege praecipitur. Si jura aliena cum utilitate propria & praesenti collidantur, homo, qui facilius animi perturbationibus quam rationi obtemperat, ea violabit, neque ab eiusmodi violatione abstinebit naturalis Legis sanctione perterritus, quam quidem aut non certam esse aut inefficacem in particularibus vitae conditionibus diximus. Cui igitur obligatio imposita ut Imperio subiectos ab aliena iniuria tutos praestet, ei etiam jus concessum sit oportet ut vim adhibeat ad iniurias offensasque in Civitate coercendas.

Vis homini infertur aut physice aut moraliter. Vis physica quod ad hominum voluntatem impossibilis & inutilis omnino, morali igitur tantum locus reliquus est. Vo-

luntas hominum metu mali ſive doloris flectitur, & vel ad agendum compellitur, vel ab agendo retrahitur; quid enim aliud eſt in voluptatem coeco quodam impetu homines ferri quam a ſenſu doloris naturaliter abhorrere? Voluptas enim fere nulla, quam aut doloris aut moleſtiae ſenſus non praeceſſerit.

Qui igitur curare debet ut homines Legibus obtemperent & a laedendis aliis abſtineant, is Legum violatoribus tantum mali ſive doloris minitetur oportet, quantum neceſſarium videbitur vel ad eos deterrendos ut neminem laedant, vel ad excitandos ut imperata faciant.

Malum iſtiuſmodi dicitur *poena*, atque adeo manifeſte patet jus Leges ferendi cum puniendi jure naturaliter eſſe connexum.

§. 6. *De Obiecto & quantitate poenarum.*

Quod licet homini in naturali ſtatu ad reparandas praecavendaſque iniurias, idipſum Imperanti adverſus alieni juris violatores licet, non enim perſona moralis, quae Societas dicitur, & quam Summus Imperans repraeſentat, aliud habere poteſt, quam quod ſingulis hominibus, ex quibus coaleſcit,

natura concessit. Jus igitur puniendi ab Jure naturali, quo jubemur ut nos & nostra ab aliena iniuria tueamur, ortum ducit. In eo tantum differt improprie dicta naturalis poena a civili, quod illius aestimatio laesi judicio, huius vero arbitrio Imperantis committitur.

Itaque si naturale jus hominum contra vim illatam vel inferendam Societatis civilis vel Imperantis jus circa poenas dimetitur, revocentur huc nostra principia de sui rerumque suarum defensione, & de iniuriarum sive laesionis reparatione (1), & haec habebimus circa poenas civiles principia generalia.

I. Tantam poenam Imperans Legum violatoribus infliget, quanta ad vim sive iniuriam illatam reparandam, futuramque & imminentem propulsandam sufficit.

II. Ergo damni illati reparatio, futuraeque praecautio iniuriae mensura poenarum civilis erit, publica securitas obiectum,

---

(1) *Vid. P. I. Tom. 1. Cap. 7. §. 8. & seqq.*

ut nempe ſublatis improbis vel a nocendo deterritis ceteri ſecuriores vivant.

III. Quantum igitur damni illatum eſt, quantus futurae laeſionis imminet metus, tanti iniuria aeſtimatur in Civitate, tantaque Legibus poena imponitur, quanta ad avertendum publicae ſecuritatis detrimentum neceſſaria eſt.

IV. Facile privatorum damnum aeſtimatur, ſecuritatis publicae laeſio, & futurae iniuriae periculum non item. Haec quae ſequuntur gravitatem poenae dimetiri poſſe videntur: 1. quo tutior & remotior a defenſione publica locus, in quo delinquitur, 2. quo delictum frequentius, 3. quo imputabilius, 4. quo magis jura privata vel publica, quibus vis illata, ad privatam publicamve felicitatem (1) neceſſaria ſunt, eo

---

(1) Itaque publica delicta gravius ſeveriuſque, quam privata punienda, cuiuſmodi ſunt Auctoritatis publicae abuſus vel uſurpatio contra Leges in Magiſtratibus a ſummo Imperante conſtitutis, vel officii violatio in iis quibus publicum aliquod munus commiſſum eſt, quibuſque publica fides haben-

gravioribus, poenis iniuria vindicabitur, ut & reus emendetur, & ceteri exemplum capiant (1); duo enim haec obiecta praeter damni reparationem intendit Imperans. Si

---

da. Eiusmodi neglectis inultisque praevaricationibus nonnullorum Regnorum subversio accepta referenda est. Omnia enim subditi audent cum viderint ad iniurias & vexationes pronos eos, a quibus si non patrocinium & tutelam, saltem legitimum Imperium expectabant. „ Merito igitur plectimur, *inquit* Cicero *De Off. Lib.* 2. *Cap.* 8. nisi enim multorum impunita scelera tulissemus, nunquam ad unum tanta pervenisset licentia „. *Vid.* Moyle's *Essay on the Roman gouvernement. Contineri igitur in officio merentur Cives omnes, sed praecipue qui ad res publicas administrandas accedunt, & si latum tantum unguem ab officio deflectant severis poenis plectendi, quippe & minima recessio maximum affert publicae saluti detrimentum.*

(1) „ In quibus (*iniuriis*) vindicandis haec tria Lex secuta est, quae Princeps quoque sequi debet, aut ut eum quem punit emendet, aut ut poena eius ceteros meliores reddat, aut ut sublatis malis ceteri securiores vivant „. Senec. *De Clement. Lib.* 1. *Cap.* 22.

ea aſſequatur jam publicae ſecuritati conſultum eſt, & ultra ſaeviendi jus nullum.

At ſi nullo alio pacto aliena vis coerceri poſſit, atque adeo ſecuritati publicae conſuli, niſi per ipſam delinquentis mortem, eam iure infligi poſſe vix dubitandum. Si enim id aliquando licere oſtendimus (1) in naturali ſtatu ad futuram iniuriam praecavendam inculpatae tutelae jure, cur etiam id licere in Civitate non debeat, in quam jus ſe ſuaque defendendi a ſingulis translatum eſt, non video. Statuendum igitur arbitror, quod ſi delinquentis mors medium unicum in Civitate reliquum ſit ut periculum laeſionis & perturbationis Reipublicae praecaveatur, ceterique ab eodem perpetrando crimine deterreantur, mors delinquentis & licita & juſtiſſima. In Civitate tamen cum facile cuſtodiri reus poſſit raro admodum eius interfectio aut ad publicam ſecuritatem, aut ad aliorum exemplum ne-

---

(1) *Vid. P. I. Tom.* 1. *Cap.* 7. §. 10. & 13.

cessaria; dubitari enim potest an a diuturna quadam & quotidiana poena delinquentis, si maxime & gravis & publica sit, ceteri magis deterreantur, quam a mortis spectaculo, quod atrox quidem & horrendum, sed cum transitorium & momentaneum sit, facile eius memoria a mente hominum excidit.

V. Cum publica securitas praecipuum sit poenarum obiectum, poena iis actionibus tantum imponitur, quae publicam laedunt securitatem. Si quae Civium actiones vitiosae sint, at nec jura publica, nec privata laedunt, poenis civilibus non coercentur. Cives enim eas actiones tantum subiecerunt Imperio, quae ad bonum commune referuntur: in ceteris liberi omnino sunt. Cave tamen existimes vitia omnia quae personalia dicuntur puniri non posse in Civitate; cum enim bonum commune, & felicitas publica ex singulari cuiusque felicitate constet, quae vitia felicitatem cuiusque pessumdare possunt non ambigitur ab Imperante poenis impositis coercenda esse: ut ecce luxus, ebrietas, crapula, desidia & ignavia, scortatio, & cetera huiusmodi quae Ci-

vium animos emolliunt, rem perdunt familiarem, agriculturam, induſtriam, commercia profligant, atque adeo Rempublicam ad perniciem redigunt. Poterit igitur Imperans vitiorum irritamenta (1) poenis obtundere cum publice exercentur; vita enim cuiuſque, quae domi & privatim ducitur, ab Imperante vel ignoratur omnino, vel ſaltem diſſimulatur; in liberos enim Cives, non in mancipia & ſervos exercet Imperium.

VI. Non igitur juxta actionum turpitudinem moralem, ſed juxta ſecuritatis publicae laeſionem poena imponitur, atque adeo non ſemper peccatum morale, civile etiam peccatum eſt, plurimumque juſtitia & virtus moralis ab juſtitia & virtute civili diſtat, quod ut probe animadvertatur oportet.

---

(1) *Optimum Legum Perſicarum conſilium teſte* Xenoph. *De Paed. Cyri Lib.* 1. *pag.* 2. *in fin.* „ At Perſarum Leges hoc antevertentes, nempe neceſſitatem puniendi, maxime curant, ne initio tales ſint Cives, ut cuiuſquam vel improbitatis, vel turpitudinis deſiderio capiantur „.

tet. Itaque animi internae modificationes, intellectus errores poenae non subiiciuntur (1): intellectus enim non doloris timore aut sensu, sed veritatis praeclaro lumine corrigitur & illustratur. Nemo velle potest ut aliquid vel falsum, vel verum menti appareat, atque adeo errores invincibiles nec imputari, nec puniri licite queunt, vincibiles vero poenae non subiiciuntur, quia nullius jura, atque adeo non publicam securitatem laedunt, diximus autem jus puniendi a laesione illata vel inferenda publicae securitati ortum ducere. Cum tamen erroris sui promulgatio actio voluntaria sit poenae subiicitur, si maxime vetita legibus fuerit (2). Si in Civitate statutum non fue-

---

(1) Concord. L. 18. ff. De Poenis, ubi cogitationum poenas nemo patitur. Vid. Pufend- *Lib. 2. Cap. 4. §. 3.*

(2) Implicite vetita intelligitur promulgatio dolosa propositionum & thematum, quae si in usum deducantur sociales virtutes evertere, Maiestatis jura profligare, & Legum sanctitatem pessumdare possent.

rit quinam errores detrimentum & perniciem ſaluti publicae afferant, monendi prius errantes quam puniendi, poena enim a Lege non ab hominis arbitrio infligenda.

§. 7. *Ex noſtris principiis Corollaria.*

I. De Talionis Jure.

Ex noſtris principiis, & ex iis potiſſimum, quae poſuimus n. III. & IV. circa aeſtimationem delicti manifeſte patet Talionis poenam, quae par vindicta dicitur, & quae in eo potiſſimum ſita eſt ut quis tantumdem patiatur quantum alterum laeſit, non eſſe obiecto poenarum conformem niſi in eo quod adtinet ad damni reparationem, quod, ſi fieri poſſit, omnino eſt reſarciendum. At illati damni reparatio poena proprie dicta non eſt, ſed officium naturale, poena autem malum quod ad emendationem & ad deterrendos alios ab iniuria inferenda delinquentibus infligitur. Damni igitur reparatio privatum quemque reſpicit, poena autem publicam ſecuritatem: cum damnum omne reparatum eſt tunc jus Reipublicae exordium ſumit, quod a ſecuritatis publicae tutela & cuſtodia, non ab aequalitate aliqua inter malum actionis & ma-

lum passionis mensuram accipit. Poterit igitur aliquando Reipublicae interesse ut vel minus, vel maius malum eo quod perpetratum est delinquens patiatur prout publicae securitati expedire videbitur.

Itaque celebre jus Talionis, sive inexorabile jus Rhadamanthaeum, quod in perfecta aequalitate inter malum actionis & malum passionis versari dictitant, nec justum (1) nec opportunum semper; & in multis reparandis criminibus aut impossibilis omnino est exsecutio justa Talionis, cum nefas sit laesionis latae & inferendae regere aequilibrium, aut ridiculae & iniquae interdum acerbitatis, ut in adulterio, incestu, fornicatione, calumnia, iniuriis &c.

---

(1) In poena enim statuenda non tantum actio physica & materialis delinquentis est aestimanda, sed eius etiam animus, consilium, status, aetas, delicti causa, locus, tempus, & cetera huiusmodi, unde imputationis gradus eruendi, & quae una simul efficiunt, ut eadem poena eidem materiali actioni & physicae imposita iniusta esset.

Quapropter & apud Judaeos (1) Talio redimebatur pecunia, & apud Graecos & Romanos vix eſt uſu recepta, quamvis Legibus aliquando imperata (2). Fortaſſe de hac re una fuiſſet Juris noſtri Conſultorum ſententia ſi probe animadvertiſſent malum morale a civili plurimum differre, & non turpitudinem moralem actionis, ſed laeſionem ſecuritatis publicae, reprimendaeque peccandi libidinis neceſſitatem ſpectandam eſſe in poenis conſtituendis (3). Talio igitur non juſta menſura poenarum. Liceat huc revocare noſtrum circa poenae quantitatem principium. Ob imminentis mali metum, vel boni aſſequendi deſiderium ad

---

(1) *De Talione Judaeorum vid. Exod. xxI. v.* 23. *xxII. v.* 1. *Lev. xxIv. v.* 17. 18. 19. *Deuteron. xIx. v. ult. Vid.* Joſeph. *Antiquit. Jud. Lib.* 4. *Cap.* 8.

(2) *Lex duodecim Tabularum apud* Gellium „ Si membrum rupſit, ni cum eo pacit Talio eſto „.

(3) *Contrariam ſententiam tuentur* Henricus & Samuel Cocceii *ad* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 20. *ob noſtram arbitror neglectam diſtinctionem*.

omittendas, vel committendas actiones impelluntur homines; tanti igitur mali metum incutiat Imperans facinorosis oportet, quod desiderium boni assequendi, vel voluptatis captandae a perpetrato scelere extinguat (1). Exinde colligere est Legum & poenarum opportunitates & medelas pro temporum moribus, & pro utilitatum praesentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum est, fervoribus mutari atque flecti, neque uno statu consistere.

II. Ex poenarum obiecto sequitur etiam eas esse debere inevitabiles, manifestas omnibus, atque adeo Legibus ipsis, non homi-

---

(1) *Si enim ductis rationibus bonum speratum mali subeundi vim & quantitatem vincat, poena inefficax est. Vid. Historiam* L. Neratii *improbi hominis, de quo loquitur* Gellius *Noct. Atticar. Lib.* 20. *Cap.* 1. *habita ratione Legis duodecim Tabular.* „ Si iniuriam faxit alteri, XXV. aeris poenae sunto „ *Is depalmabat homines liberos, secumque habebat servum crumenam plenam assibus portitantem, qui depalmatis secundum* XII. *Tab.* XXV. *asses numerabat.*

nis arbitrio conſtituendas, & ſine ulla cunctatione & dilatione exigendas. Cum enim voluntas Civium mali imminentis timore movenda, id fieri nequit niſi ipſi noverint quod mali genus immineat, aut ſi vitandi mali adſit ſpes aliqua (1); neque exemplo eſſe poterit aliis poena ſi tunc irrogatur, cum criminis pene memoria excidit, atque adeo cum animi hominum poenae exſecutione potius ad nocentis miſericordiam, quam ad Criminis deteſtationem, terroremque excitantur.

---

(1) Hac regula judicanda aſyla nonnullibi conſtituta, quae miſeris & a potentiore oppreſſis prodeſſe aequum eſt, non improbis & facinoroſis. Digna eſt quae memoretur ſententia Ceſtii *Senatoris de reis, qui ad ſtatuam Principis confugiebant, apud* Tacitum *Annal. Lib.* 3. „ Principes quidem inſtar Deorum eſſe, ſed neque a Diis ipſis niſi juſtas ſupplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium, aliaque urbis templa perfugere, ut eo ſubſidio ad flagitia utatur „.

§. 8. *Tertium Jus Maiestatis* MITIGATIO POENAE, GRATIA, ABOLITIO, ET AMNESTIA.

Quamvis poena inevitabilis omnino esse debeat, attamen cum eius obiectum & consilium illud sit, ut publicae consulatur securitati, Civitas autem & Imperium publicum constitutum sit ad felicitatem Civium consequendam, si quando singularis aliqua adsit ratio, qua publicae saluti expedire videatur, ut vel poena mitigetur, vel omnino remittatur reo jam convicto; aut jubeatur ut contra accusatum vel suspectum criminis inquisitio non ultra procedat, in quo *Abolitio* consistit, vel ut praeterita facta, quae nec legitima, nec illegitima pronunciantur, in perpetua jaceant oblivione, unde ea nemini sit jus vindicandi, quod quidem *Amnestia (1)* dicitur, ea omnia ad summi Imperantis jura pertinere extra dubium positum est *(2)*; eum enim, cui publicae se-

---

(1) Ἀμνηστία *praeteritorum oblivio.*

(2) *Ignoscere non licere Stoici docuerunt. Eorum argumentum futile refertur a*

licitatis cura committitur iis juribus deſtitui non decet, quae in hypotheſi media unica ſunt felicitatis conſequendae. Ne tamen facilis conniventiae ſpe ceteri ad peccandum alliciantur, Imperantis officium erit rationes ſingulares palam facere, quibus adductus eſt ut reo poenam vel temperaret, vel aboleret omnino.

Nemini vero infra Imperantem poenam vel mitiorem, vel graviorem irrogare ea quae Legibus conſtituta eſt jus eſto, ſi ſarta tecta civilis Libertas ſervanda eſt. Si ſecus, jam vita, honor, bona Civium non Legum ſanctioni, ſed hominum arbitrio ſubiiciuntur: conſtituendae igitur ſingillatim quibuſque delictis certae poenae, & nil aliud in-

---

Seneca *De Clement. Lib.* 2. *Cap.* 7. „ Venia debitae poenae remiſſio eſt, ſapiens autem quod facere debet facit „ *Obvia quidem reſponſio eſt. Poena in genere debita iis qui crimen aliquod admiſerunt publicae utilitatis cauſa, ſi Civitati expediat a generali Lege recedere, eadem ratio quae debitam poenam facit, indebitam reddit. Itaque ſapiens reipſa facit quod facere debet cum poenam remittit.*

ferioribus Magistratibus relinquendum, quam criminum inquisitio, & nuda Legis ad factum applicatio, omni interpretationis jure remoto; praestat enim ut interdum crimen aliquod impunitum in Civitate sit, quam ut Libertas civilis, qua nihil aliud est in Civitate praestabilius, in perpetua versetur periclitatione & discrimine.

§. 9. *De publicatione bonorum, & perduellionis crimine.*

Quia actiones suis tantum auctoribus imputantur (1), atque adeo reus tantum

---

(1) Juxta regulas tamen, quas supra statuimus circa imputationes actionum humanarum, & circa dolum. Fieri igitur potest ut actiones alienae alteri imputentur, atque adeo ut alter de alieno crimine poenas luat. Tunc tamen alieni criminis tertius est auctor, vel causa moralis, quapropter & in hoc casu verissima & justissima regula Juris est, quod reus tantum puniendus. At non ubique principia nostra relegere possumus. Qui utilissimam hanc Disciplinam addiscere satagit totam complectatur necesse est Juris Publici Universalis causam, alterius enim altera res opem poscit & coniurat amice. Qui

puniendus, quia publicatio bonorum damnum vel filiis, vel haeredibus ab inteſtato & in eorum poenam vergere videtur, quaeſitum eſt an licita eſſet, & licitam eſſe pronunciamus ſaltem quod ad bona delinquentis libera, iis tamen exceptis, ad quae tam uxores, quam liberos tum puberes, tum impuberes jus perfectum habere diximus (1). Si cetera, quae ſuperſunt bona delinquen-

---

unam vel alteram Diſciplinae partem meditetur, ceteris poſtpoſitis, qui articulum alterum ab altero ſeparet, & bene digeſtam machinam decomponat, & fruſta & partes tantum diſiectas ſpectet, in monſtrum informe pulcherrimum corpus ſe converſurum fore ſciat, & ſe tantum in hac Diſciplina profecturum, quantum in pictura, aut ſtatuaria proficeret, qui partes tantum hominis delineare & effingere addiſceret, numquam vero integrum hominem. Haec quidem adnotare benefactum putavi, ne quis fortaſſe arbitretur me nimium jejuna, et arida de rebus graviſſimis ſcribere. Nec arida nec jejuna quidem ſunt, ſi partes omnes Juris noſtri una componantur, et quae invicem referuntur non particulatim ponderentur, ſed in unum veluti corpus jungantur.

(1) *Diſcord. L. 5. Cod. Ad Leg. Jul.*

tis publicantur nulla descendentibus iniuria fit: iniuria juris perfecti laesionem supponit, nullum autem jus perfectum in genere liberis ad parentum integram haereditatem

---

Majest. in qua perduellium bona Fisco addicuntur omnia nulla habita filiorum ratione, quibus alimenta naturali Jure debentur, quo quidem nil crudelius atrociusque excogitari potest,, Sint, *inquit Lex*, damnatorum filii perpetuo egentes, sint postremo tales, ut his perpetua egestate sordentibus sit & mors solatium, & vita supplicium ,, . *Quae atrocitas in innocentes! At nec tam gravi poena constituta se tutos arbitrabuntur qui sentiunt se publicam commeruisse exsecrationem, & dignos esse, ut omnes iniusto Imperio parentes perduelles fiant. Vid. tamen Leg.* 20 *&* 26. *ff. De Poen. L.* 22. *Cod. eod. L.* 2. §. 2. *in fin. et* §. 7. *ff. De Decurion. Quapropter merito Principes fere omnes eiusmodi crudelem Legem abrogdrunt, quae tamen olim non tantum apud Romanos, sed apud Persas, Macedones, Carthaginenses valuit. Vid.* Anton. Matth. *De Crimin. ad Lib.* 48. *ff. Tit.* 2. *Cap.* 3. §. 11. *et Cap.* 5. §. 7. Ammian. Marcellin. *Lib.* 23. *Cap.* 6. Herodot. *Lib.* 6. *Cap.* 11. *Lib.* 8. *Cap.* 6. Justin. *Lib.* 10. *Cap.* 2. *Lib.* 21. *Cap.* 4.

eſſe oſtendimus *(1)*, atque adeo delinquens ipſe, non filii, non haeredes puniuntur, quibus bonorum amiſſio non publicae iniuriae, ſed infortunio accepta tantum referenda; idem enim eſt Patrem in hypotheſi publicationem bonorum ob crimen commeruiſſe, quam Patrimonium ſuum dilapidaſſe.

Civitas igitur jus habebit bona reorum publicandi: at cum quiſque debeat jus ſuum exſequi cum minimo, quod fieri poteſt, aliorum detrimento, & cuique officium ſit naturale ut curet ne ceteri incidant in mala animi, corporis, & fortunae, Civitas, ſeu eius Rector neceſſitate exigente atrociora tantum crimina publicatione bonorum mulctabit, inter quae cum graviſſimum & atrociſſimum omnium ſit crimen perduellionis, & laeſae Maieſtatis *(2)*, non ambigendum

---

(1) Huc accedit quod jus eventuale natorum ad bona libera parentum conditionale est, ſi nempe ea ſuperſint eo tempore quo parens decedit.

(2) Reus Maieſtatis dicitur quiſquis crimen aliquod contra Maieſtatem, & libertatem, ſalutem, & ſecuritatem Populi admittit.

posse Imperantem morienti maximum terrorem addere, quod filii nempe superstites ad egestatem redigentur, ut ceteri & mor-

---

Variae eiusmodi criminum species recensentur in Tit. ff. Ad Leg. Juliam Maiest. qui videndus. Species gravior est perduellio: Perduellis *dicitur qui hostilia adversus Principem vel Rempublicam molitur, quos enim nos hostes, veteres perduelles vocabant L. 234. ff. De verb. sign.* Festus *in verb. Duellum. Fuerunt qui & maledicta in Principem, eiusque regimen crimen Maiestatis esse jusserunt, nescio quam juste & sapienter; a magnanimo enim Principe facta arguenda, dicta contemnenda esse videntur, nisi in seditionem vergant. Dignum est quod referatur* Theodosii *piissimi & generosi Principis rescriptum relatum in Cod. Si quis Imper. maledix.* ,, Si quis modestiae nescius, & pudoris ignarus improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, & temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum poenae nolumus subiugari, neque durum aliquod, nec asperum volumus sustinere; quoniam si id ex levitate processerit contemnendum est, si ex insania miseratione dignissimum, si ab iniuria remittendum ,, . *Apud nonnullas Gentes & ipse ad perduellionem conatus, veluti perduellio ha-*

tis timore, & paternae pietatis ſenſu ab intolerabili eiuſmodi crimine abſtineant; nullum enim durius ſupplicium quam eos qui ex ſe ſunt, ob ſe miſeros ſpectare.

§. 10. *Qui reus vel delinquens dicatur.*

Nemo reus niſi convictus fuerit, &

---

betur, & eadem ſeveritate voluntas ſceleris, qua effectus punitur L. 5. Cod. ad L. Jul. Maiest. Et quia melius est occurrere in tempore, quam post exitum vindicare, jus inde Principi oritur conventicula omnia, & ſocietates hominum, qui extra Civitatis indigentiam & ordinem una conveniunt, item collegia illicita, coetus, conſociationes omnes investigare, prohibere, interdicere, uno verbo jubere & curare ut nullus hominum coetus in Civitate aut ſit, aut eſſe poſſit eo irrequiſito & inconſulto; quod enim ſinguli & diſiuncti Cives ne cogitarunt quidem, id multos una coeuntes aggreſſos ſaepe eſſe in Civitatum Regnorumque perniciem compertum est. Concord. Leg. Rom. quibus cautum est ne collegia, et ſodalitia eiuſmodi inconſulta Maiestate celebrentur. Vid. L. 1. 2. et 3. ff. De Colleg. et Corpor. L. 6. ff. De extraordin. crimin. L. 1. pr. ff. Quod cuiuſcumque univerſit. nom. Vid. Juſt. Henning. Boehmer. *Introd. in Jus Publ. Univerſ. Lib. 2. Cap. 4.*

Judicis ſententia criminis auctor declaratus. Laedunt igitur jus privatum hominis, qui alienae querelae, vel ſuſpicioni fidem praebentes aliquem reum pronunciant, bonamque nominis exiſtimationem, ad quam quiſque jus perfectum habet, commaculant, multo magis laedunt, qui ei nondum convicto poenam aliquam infligunt.

Licet ſpontanea confeſſio criminis multoties invictum ſit veritatis argumentum, attamen ſapientis quandoque Judicis officium eſt ulteriores criminis probationes diligenter inquirere, & hominem ſui compotem ab eo qui vel invincibili ignorantia laborat, vel oeſtro quodam percitus eſt probe dignoſcere (1).

---

(1) Sola confeſſio non ſufficit ad rei condemnationem: vel corpus delicti, vel indicia neceſſaria ſunt. Id ſentiunt etiam Juris Interpretes. Vid. Carpzov. Prax. Crimin. P. 3. Quaest. 126. n. 14. et P. 2. Quaest. 60. n. 8. et 9. Concord. L. 1. §. ult. ff. De Quaest. L. 23. §. ult. L. 24. 25. ff. Ad Leg. Aquil. L. 29. §. 1, ff. De Probat.

§. 11. *Defenſio omnibus naturali Jure concedenda.*

At licet reus confeſſus & convictus fuerit de crimine, attamen defenſio nunquam deneganda; cum enim poena gravior, quo crimen imputabilius, imputabilitatis vero innumeri gradus ſint ex circumſtantiis deducendi, neque eos detegendi ulla via pateat niſi auditis perpenſiſque iis omnibus, quae in excuſationem adducere reus poteſt, reo defenſio non eſt deneganda; nam quod ultra meritum a reo exigitur iniuria eſt, quae Lege Naturae vetita.

§. 12. *De Quaeſtionis, ſeu Torturae moralitate.*

Publicae ſecuritatis intereſt, ne aliquod crimen impunitum ſit. Ergo Imperanti jura omnia tributa eſſe dicendum eſt, ſine quibus admiſſorum criminum auctores detegi nequeunt. Si igitur quaeſtiones, & tormenta tutiſſimum eſſent medium veritatis exprimendae, vix dubitari poſſet, quin hominem probabili coniectura, & ſufficientibus indiciis criminis ſuſpectum torquere liceret. Sunt qui aſſerunt, eam eſſe veritatis extorquendae tutiſſimam viam; eodem enim

pacto

pacto, inquiunt, quo ceterae animi perturbationes dolor, cupiditas, ira, metus veritatem ab invito etiam excutiunt, ita & cruciatu corporis posse extorqueri veritatem non dubitant, quae quamvis per vim eliciatur, tamen veritas est. Sunt tamen complurimi, qui tormentorum barbaram atrocitatem improbant, hisce innixi argumentis.

I. Omnis corporis cruciatus poena est, poena nisi reo convicto infligi nequit, tortura ipsa non bene constare de criminis auctore indicium est, ergo cum per torturam crucientur homines, quos adhuc reos esse non constat, tortura semper illicita, & iniusta est. Itaque aut crimen certum est, aut incertum, si certum quaestiones inutiles, & iniustae, reus enim nullam aliam poenam meretur, quam quae Legibus est constituta; si incertum, cruciatibus torquetur innocens, quod inhumanum est, & iniustum, innocens autem haberi debet, cuius crimen adhuc incertum est, nunquam igitur fieri potest, ut tormenta, vel quaestiones in Civitate licitae sint.

II. Mentiendi causam plerumque praebent tormenta, sive robustum, sive infir-

mum corpore torſeris, alteri enim tormentorum vim eludunt, alteri doloris ſenſu ita afficiuntur, ut mori potius malint, quam tormenta ſubire, cuius rei multoties funeſtum periculum factum eſt (1). Itaque cum quaeſtio ſit res fragilis, & periculoſa, &

---

(1) *En tibi et impatientiae, et patientiae exempla.* M. Agrii *Argentarii ſervus* Alexandrum Titii Fannii *ſervum occidiſſe inſimulatus est, eoque nomine tortus a Domino admiſiſſe id facinus constantiſſime aſſeveravit. Itaque* Fannio *deditus ſupplicio affectus est: parvulo deinde tempore interiecto, ille, de cuius nece creditum erat, domum rediit.* Valer. Max. *Lib.* 8. *Cap.* 4.

Agrestis Hiſpanus occiderat L. Piſonem *eius Provinciae Praetorem. Intercipitur: criminis ſocios edere per tormenta adigitur. Clamitat frustra ſe torqueri, adſisterent ſocii ac ſpectarent, nullam vim doloris tantam fore, ut veritatem exprimerent.* Corn. Tacit. *Annal. Lib.* 4. *Cap.* 45.

Occiditur Hipparchus Tyrannus Athenarum. Leaena *ſcortum de occiſoribus interrogatur per tormenta. Tacet ſemper: victa dolore linguam premit dentibus, et abſciſſam in Hippiae adstantis os exſpuit.* Liv. *Lib.* 24. *Cap.* 5. Senec. *Lib.* 2. *Cap.* 13.

quae veritatem fallat *(1)*, atque adeo medium non sit veritatis detegendae, nec licita in Civitate esse potest.

III. Longe satius est nocentem absolvi, quam innocentem torqueri, cum praecipue Judex possit etiam suspectum criminis non absolvere, sed ampliare causam, & pronunciare: *non liquet*, donec certiores adducantur probationes.

IV. In multis Europae Provinciis *(2)*, & ubique inter Milites tormentorum usus

---

(1) Concordat Lex I. §. Quaestioni ff. De quaestion. cuius verba elegantissima digna sunt quae referantur „ Quaestioni fidem non semper, nec tamen numquam habendam constitutionibus declaratur: etenim res est fragilis, & periculosa, & quae veritatem fallat; nam plerique patientia, sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit, alii tanta sunt impatientia, ut in quovis mentiri, quam pati tormenta velint „.

(2) Apud Anglos, Scotos, et Aragonios usus torquendi criminis suspectos non est. Vid. Gomez *Tom.* 3. *Resolut. Cap.* 13. Thom. Schmid. *de Rep. Angl. Cap.* 27. *In*

proſcriptus eſt, ſine ullo publicae, vel privatae ſalutis diſpendio, cum & delinquentes facile detegantur, & innocentium damnatorum rariſſima exempla ſint.

Ad huiuſmodi argumenta fortaſſe animum advertens *Divus Auguſtinus* haec de quaeſtione eleganter ſcripta reliquit (1): *In ſua quiſque cauſa torquetur, et cum quaeritur, utrum sit nocens, cruciatur, et innocens luit pro incerto ſcelere certiſſimas poenas. Ac per hoc ignorantia Judicis plerumque est calamitas innocentis, et quod intolerabilius,*

Anglia tamen ſuſpectus criminis examen ſubire, et interrogationibus reſpondere, atque adeo ſe defendere, et indicia purgare tenetur. Ni id fecerit, et obstinato silentio ſe Judicium declinaturum ſperet, torquetur gradatim ad necem. Si torturae acerbitati ſuccumbens mortalitatem expleverit, Reus minime declaratur, atque adeo eius Bona Fiſco non addicuntur. Id in cauſa fuit, ut nonnulli ad necem uſque torqueri incredibili patientia paſſi fuerint; eo enim pacto deſcendentibus conſulunt, et eorum manent testamenta, ſilentii, et mortis pretium.

(1) *De Civit. Dei Lib. 19. Cap. 6.*

magisque rigandum, si fieri possit, fontibus lacrymarum, cum propterea torqueat Judex accusatum, ne occidat nescius innocentem, fit per ignorantiae miseriam, ut et tortum, et innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torserat.

Eiusmodi argumenta, quae sine partium studio, sine praeconceptarum opinionum amore protulimus sapiens Lector perpendet, & quid sentiendum sit de tormentis, & quaestionibus iudicabit *(1)*.

Quod si videantur tormenta corporis non accommodata ullo pacto esse veritatis

(1) Haec quidem sunt, quae octo ab hinc annis auditoribus meis tradebam circa Quaestionis moralitatem, quae non immutata veste, non ampliata, non exornata in vulgus edere religio fuit; me enim quaedam pertentavit voluptas, cum viderim veritatem, quam incertus quodammodo dubiusque intra domesticos parietes indicaveram, caput in publicam lucem extulisse, et a Civitatum Rectoribus sapientissimis humaniter receptam, id effecisse, ut quaestionis usus fere omnino a criminalibus Judiciis exulare incoeperit.

exprimendae media, multo minus eſſe videbuntur tormenta animae, iuramentum nempe, quod criminum ſuſpectis aliquando defertur; nec enim idem omnibus eſt futurarum poenarum certus timor, vel ſi ſit etiam, non adeo omnes ſpe futurae veniae deſtituuntur, ut a periurio abſtinere velint. Cum igitur ab iuriſiurandi delatione nullum veritatis certum indicium deduci poſſit, & facile ad peierandum homines alliciantur, quod quidem omnino illicitum, eam eſſe, & inutilem omnino, & illicitam videtur.

§. 13. *De captura & cuſtodia Rei.*

Ab iure ipſo puniendi alterum ortum ducit Reum, cuius crimen evidentia morali, vel quaſi certum eſt, cuſtodiendi, donec poenam commeruiſſe pronuncietur, eamque re ipſa ſubierit. Niſi huiuſmodi jus ſummo Imperanti tribuatur, alterum puniendi fere nullum, & inefficax eſt. Expedit tamen Libertati Civili, ut non hominis arbitrium, ſed Legis praeſcriptum deſignet gradus evidentiae moralis, intra quos

liceat suspectum criminis in carcerem coniicere (1).

Consectaria.

I. Obiectum carceris custodia Rei: nullo igitur jure qui in eo detinentur, ut plurimum squallore, & solitudine loci affliguntur, omnique destituuntur vitae iucunditate *(2)*. Nonne decet, ut custodia publica eorum, qui nondum Rei declarati sunt; ab eo carcere, in quem coniiciuntur

---

(1) *Vid. L. 17. Cod. ad L. Corneliam de Fals. L. 6. ff. de Custod. & exhibit. Reor. L. 1. ff. de quaest., ubi exhibitionem, prehensionemque Rei non decernit Judex, nisi certis quibusdam indiciis commotus.*

(2) *Benigne, & humaniter quidem egit cum his, quos tenet Carcer inclusos*, Costantin. Caesar *relat. in L. 1. Cod. de Custod. Reor.* „ Nec vero sedis intimae tenebras pati debebit inclusus, sed usurpata luce vegetari, & sublevari, & ubi nox geminaverit custodiam, in vestibulis carcerum, & salubribus locis recipi ac revertente iterum die ad primum solis ortum illico ad publicum lumen educi, ne poenis Carceris perimatur, quod innocentibus miserum, noxiis non satis severum esse dignoscitur „.

Rei jam convicti in poenam criminis ; differat ?

II. Obiectum carceris cuſtodia Rei, atque adeo carceris uſus ex jure quodammodo neceſſitatis; ergo Reum convictum, & damnatum capitis, vel exilii diutius detinere non licet, quam neceſſitas poſtulat. Si non illico commeritam ſubit poenam ultra meritum, & praeſcriptum Legis altera poena, nempe diuturna libertatis privatione, mulctatur, quod eſt iniuſtum. Quod de convictis diximus, id de Reis examini ſubiiciendis intelligendum, qui illico audiendi, & judicandi ſunt, ne ultra neceſſitatem malae manſionis tempus prorogetur (1).

---

(1) *Quapropter ignavia, & deſidia Judicum, qui criminali Juriſdictioni praeſunt ſeveriorum poenarum timore eſſet excitanda juxta L. 5. Cod. eod. cuius verba digna ſunt, quae in memoriam redigantur* „ De his, quos tenet Carcer incluſos id aperta definitione ſancimus, aut ut convictos velox poena ſubducat, aut liberandos cuſtodia diuturna non maceret. Jubemus autem, ut intra trigeſimum diem ſemper Commentarienſis ingerat numerum Perſonarum, va-

III. Obiectum carceris cuſtodia Rei, ne impunitus evadat. Si igitur crimen admiſſum, de quo inquiſitio inſtituitur, aut poena pecuniaria *(1)*, aut exilio mulctandum, & Reus Fidejuſſorem (2) det, ſe in Judicio ſiſti, & commeritam poenam luiturum, carcer omnino inutilis, atque adeo illicitus. Pro crimine capitali, vel poena afflictiva tamen Fideiuſſores non admittuntur, tum quod nullius in perniciem corporis ſui valida eſt promiſſio (3), tum quod

---

rietatem delictorum, clauſorum ordines, aetatemque vinctorum. Quod ſi haec praetermiſerit viginti libris auri aerario noſtro iubemus inferre: Judicem vero deſidem, ac reſupina cervice tantum titulum gerentem, extorrem impetrata fortuna decem auri libris mulctandum eſſe cenſemus.,,

(1) Concord. L. 3. *ff. de Cuſtod. & exhibit. Reor. L.* 6. §. *ſuper his* 3. *Cod. de Appellat. Vid.* Anton. Matth. *de Crim. ad Libr.* 48. *ff. tit.* 14. *Cap.* 2. §. 16. *& ſeqq.*

(2) *Si tamen Reus criminis pecuniarii fidejuſſorem dare non poſſit, & de fuga ſuſpectus ſit, includi Carcere poſſe verior ſententia eſt; vid. L.* 1. §. *ult. ff. De poenis.*

(3) Vid. Leg. 13. *ff. ad L. Aquiliam.*

poenae finem aſſequi Civitas non poſſet, ſi innocens puniretur, ex ea enim poena non ad terrorem, ſed ad miſericordiam excitarentur animi omnium.

§. 14. *Quartum Jus Maieſtatis* PRIVILEGIORUM COLLATIO.

In Legumlationis jure, de quo hactenus diximus, alterum privilegia concedendi continetur quaſi ſpecies in genere; cui enim generalia juſſa, & de univerſis Civibus concepta, huic & particularia de ſingulis condere facultas ſit oportet; privilegia enim nil aliud ſunt, quam Lex privata, qua caeteri jubentur, ne Perſonae alicui conceſſum jus ſingulare ullo pacto laedant.

Quod Legum omnium obiectum, & conſilium eſſe diximus, idem eſt & privilegiorum, iiſdemque finibus haec duo Maieſtatis jura circumſcribuntur; nemini enim jus ſingulare, aut privilegium eſt concedendum, niſi publicae ſalutis, & felicitatis gratia; nam ob unam hanc cauſam Imperium civile eſt conſtitutum. Quapropter privilegium omne ea conditione conceſſum intelligitur, ut ſuſpendi, imminui,

vel revocari poſſit (1), ſi forte eveniat, ut cum publica ſalute collidatur, & in Civitatis perniciem vergat; abſurdum enim eſt, ut in Republica Cives inveniantur, quorum ſingularia jura perpetuum ſaluti publicae damnum inferant. Huc accedit, quod cum nemo det quod non habet, nec Imperanti jus ſit eiuſmodi privilegia concedendi, ea per ſe quodammodo corruunt, ſi quando mutatis Reipublicae conditionibus eam peſſumdare, & profligare poſſint.

Haec quidem recte procedunt, ſi Imperium ſummum, & abſolutum translatum eſt, ſi vero limitibus circumſcriptum, & privilegia perſonarum, vel corporum, veluti Leges fundamentales habenda ſunt, vel ſi privilegia titulo, ut aiunt, oneroſo (2)

---

(1) Vid. Hobb. *De Cive Cap. 6.* §. 13. *& ſeqq.* Adrian. Houtuyn. *Polit. general.* §. 26. Bodin. *De Rep. Lib.* 1. *Cap.* 8. „ eo quod, *ait*, omne privilegium Lex ſit, adeoque abrogationi obnoxia „.

(2) Vid. eumd. Bodin. *l. c.* Stryk. *De privileg. tit. oneroſ. quaeſitis cap.* 3. §. *6. & ſeqq.*

quaeſita ſunt, tunc maxima Imperans utatur circumſpectione (1) oportet, prima enim vel abolere, vel minimum etiam imminuere nefas, altera attingere periculoſum, & ſubiniuſtum, niſi aliquo pacto Privilegiarii praeſtentur indemnes.

Ex privilegiorum obiecto facile eſt Monopoliorum iniquitatem aeſtimare, quae ad privilegia referri poſſunt, ſi non ex conventionibus, & fraude Mercatorum, ſed ex conceſſione Principis ortum ducant; nefas enim eſt in genere (2), ut jus ſin-

---

(1) Vid. Sixtin. *De Regal. Lib.* 2. *Cap.* 14. *n.* 49. Bodin. *De Repub. Lib.* 1. *Cap.* 8. *Vid. quae ſupra de Legibus Fundamentalibus diximus in caſu neceſſitatis; utilitati enim publicae jura omnia privata cedant oportet, licet eorum violatio juxta communem regulam Legis ſubiniuſta videatur* „ Habet aliquid, *inquit* Tacitus *Annal. Lib.* 14. ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur „ *Vid.* Obſervat. Hallenſ. 16. & 17. *Tom.* 3. Stryk *l. c.* §. 23.

(2) *In genere dicimus, nam cum utilitas publica Civilis Juſtitiae regula ſit, fieri*

gulare uni tantum concessum, qui aliquod mercium genus solus emat, solusque vendat ad utilitatem, non autem ad Reipu-

---

aliquando potest ut Reipublicae expediat Monopolium concedere, ut ecce si novum commercium aut artificium magnis impensis & periculis introducendum sit, sunt qui arbitrantur eiusmodi privilegium & justum & utile. Huc referunt Monopolia nonnullis societatibus concessa a Batavis, & Anglis ut in India commercia exercerent, quod & periculosum & difficile, & non aequum viribus cuiusque privati, ni multi ad hanc Spartam suscipiendam collato aere, Monopolii privilegio excitati fuissent. Sunt tamen qui tanto corripiuntur Monopoliorum horrore, ut asserant nullam esse posse Reipublicae conditionem, in qua Monopolii concessio licita; quae quidem sententia mihi videtur adamati potius alicuius systematis, quam veritatis amore prolata, nefas enim est adeo omnes publicarum rerum rationes supputare, ut eiusmodi sententiam ita absolute & audacter pronunciare liceat. Vid. tamen Raynal. *Histoir. Philosoph. & Politiq. des établiss. &c. dans les deux Indes.* Wattel *Dr. des Gens Lib. 1. Cap. 8. §. 27.* Bielfeld *Instit. Politiq. Tom. 1. Cap. 14. §. 46. & seqq.* Grot. *Lib. 2. Cap. 12. §. 16.* Pufend. *Lib. 5. Cap. 5. §. 3.*

blicae detrimentum pertineat. Quapropter dignus eſt, qui ſummis laudibus extollatur PETRUS LEOPOLDUS Dominus noſter, Pater Patriae, qui Felicitati publicae, quam quidem unam curis ſuis omnibus, vigiliiſque propoſitam habet, incomparabili conſulens providentia, Monopolia omnia ab Hetruria exulare juſſit, atque adeo commercia amplificavit, excitavit induſtriam, civilis Libertatis aſſertor & vindex, & communis Boni diligentiſſimus Cuſtos.

§. 15. *Quintum Jus Maieſtatis* PRAEMIORUM COLLATIO, *ubi de Jure Principis circa honorem, & aeſtimationem civilem.*

Cui commiſſa eſt felicitatis & ſecuritatis publicae cuſtodia, ei jura omnia, ſine quibus obiectum illud aſſequi nequit, concedenda eſſe multoties diximus. Princeps igitur Legibus ſubditos ad felicitatem conſequendam quaſi manuducit futuri mali timore, poenis ſcilicet civile vitium, & crimina coercet, & ſecuritati publicae conſulit, ſpe autem futuri Boni, nempe praemiis, ſubditos ad virtutis civilis, qua una vera Civitatis felicitas conſtituitur, egregia

opera allicit, excitat, impellit: collatio igitur praemiorum jus est a summi Imperii exercitio omnino inseparabile.

Praemium omnium optimum, nobilissimum, publico aerario minus grave, & ad excitandos animos hominum validissimum honoris, & aestimationis praerogativa est in Civitate, cuius origo paullo altius inquirenda quam ceteri solent.

Constituto igitur Imperio aequalitas adhuc est inter Cives infra Imperantem, eaedem enim omnibus communes sunt obligationes, & jura, neque uni prae alio praerogativa dignitatis, & honoris debetur. Si huc revocentur principia, quae alibi (1) posuimus de aestimatione naturali, manifeste liquet a Civitate eo pluris Civem aestimandum, quo magis commune bonum, seu publicam promovet felicitatem. Cum Imperantis sit publicam hanc felicitatem custodire, ejus est etiam judicium de cuiusque Civis utilitate ferre; atque adeo ad eum pertinet statuere quanti quisque in Civitate

---

(1) *P.* 1. *T.* 1. *Cap.* 7. §. 6.

faciendus ſit, & quo proſequendus honore. Mandat igitur Imperans, ut nonnullis Civibus praecipuus exhibeatur honor, eiuſque judicio ſaltem externe a ſubditis obtemperandum eſt.

Saltem externe, inquam, nam ſi Imperans non ob egregia Civium in Rempublicam merita, quae una eſt civilis dignitatis menſura, ſed ob alia futilia, & inania honoris praerogativam concedet, & tituli, & praecedentiae paullatim irridentur, vileſcunt, nec ſectatores inveniunt, cum praemia iſtiuſmodi non amplius virtutis civilis, atque adeo commeritae aeſtimationis in Civitate inſignia ſint. Abſurdum igitur, & ridiculum videtur aeſtimationem, & dignitatem civilem venalem reddere, quaſi vero ſincera Civium, & interna aeſtimatio pecunia & opibus comparari poſſet, & homo Civitatis pondus inutile, veluti optime in Rempublicam meritus habendus eſſet, quod majores ſui magnam vim auri fortaſſe malis artibus partam ipſi compararunt. Caveat igitur Imperans, ne quod virtuti civili tantum debetur praemium, opibus, privatoque favori concedat, ni velit maximo in admini-

ni-

niſtranda Republica adjumento carere, & ſpem omnem ſubditos ad geſta praeclara excitandi abiicere.

Sed cum difficile ſit cuiuſque Civis quotidie merita penſitare, eique honoris gradum citra ceterorum invidiam conſtituere, non abs re erit ut Imperans in diverſos ordines Cives omnes diſpertiatur; ſinguliſque ordinibus civilis Dignitatis, ſive aeſtimationis publicae gradum tribuat, prout diverſa eorum munera magis minuſque ad finem Civitatis conſequendum faciunt (1). In qua re dijudicanda non tantum utilitatis, ſed etiam difficultatis muneris obeundi, propriarumque rerum diſpendii rationem habendam eſſe conſtat.

Exinde fortaſſe factum eſt, ut inter eas Gentes, quae maxime ad vim externam pro-

---

(1) *Officiis igitur publicis, non perſonis tribuendae videntur praerogativae honoris & dignitatis. Id moris obtinet noſtris etiam temporibus in potentiſſimo Europae Regno. Utinam peregrini mores tam ſapientem & utilem inſtitutionem non corrumpant!*

pulſandam, armato milite indigebant, primus Civium ordo ille haberetur, qui ſuis impenſis militiam exercebant, tutamque ceteris Civibus vitam praeſtabant. Hinc prima Nobilium virorum origo, quibus non immerito multa ſunt jura ſingularia, & privilegia attributa, quae & filiis transmiſſa ſunt, ut ex eo Civium ordine praeſto eſſent qui Parentum exemplo excitati publicam ſalutem privatis commodis, & emolumentis anteponerent. Eum morem Germaniae Populis acceptum tribuendum non dubito, quem quidem exinde & ceterae Gentes nulla interdum neceſſitate compulſae amplexae ſunt.

Sed haec miſſa faciamus. Illud certum eſt Civium aeſtimationem publicam a Summi Imperantis arbitrio pendere. Quae ſint in genere eius officia docuimus, quid magis expediat in unaquaque Reipublicae forma definire ad Politices artem pertinet.

§. 16. *Sextum Jus Maieſtatis*. MUNERUM PUBLICORUM DISTRIBUTIO.

Publicis rebus in ordinem redactis, poenalibus ſanctionibus in internae ſecuritatis aggreſſores conſtitutis, Legibus conditis,

quae justitiam inter Cives regant, & quarum subiectum in Jure Naturae abunde exposuimus, fieri nequit, ut Imperans solus omnia administret, curetque, ut Instituta publica recte procedant, & Leges executioni mandentur, nisi multorum sibi sociam operam adiiciat. Jus igitur eligendi ministros, quibus munera publica exercenda committat, cum jure administrandi Rempublicam connexum est. De eo Imperante tamen loquimur, cui plenum, & absolutum Imperium commissum est, in plerisque enim Regnis Legibus fundamentalibus est cautum quibus Personis certa munera publica, sive praecipua, & designata Imperii jura sint demandanda; Ministri enim publici (1) dicuntur illi, qui exercitium juris

---

(1) Publici *dicuntur habita eorum ratione, quibus praepositi sunt, respectu vero Imperantis & subditi & privati sunt, nam ut animadvertit* Grotius *Lib. 1. Cap. 4. n. 6. facultas gubernandi, quae est in Magistratibus summae Potestati ita subiicitur, ut quidquid contra voluntatem Imperantis fecerint pro actu privato habendum sit.*

alicuius, quod ab Imperio civili ortum ducit, exercent.

Ex generali officio Imperantis ſequitur, munera publica ab eo demandanda eſſe iis tantum, quibus & animi, & corporis vires ſuppetunt ad ea obeunda. Omnia ſuſdeque miſceantur oportet & Civitas in praeceps ruat, ſi Bonum publicum privata gratia, & divitiarum copia vincitur (1).

---

(1) *Vid.* Fritſch. *Tract. De Grat. Princip. erga Miniſtr. Cap.* 13. *& alter. Tractat. De Peccat. Princip. Concluſ.* XI. *Opportune* Iſocrates *ad* Nicoclem. „ Sic alios iis praefice rebus, quas ipſe non geris, ut tibi adſcribendum ſcias quidquid illi fecerint. *Digna eſt quae legatur deſcriptio elegantiſſima Urbis Romae corruptae quod ad Magiſtratuum electiones* Caeſaris *&* Pompeii *tempore apud* Appian. *De Bell. Civil. Lib.* 2. *Quapropter* Pompeius *judicia propoſuit praecipue de munerum corruptelis & largitionibus, ratus ex eo fonte naſci mala publica, & proinde hoc curato ſecuturam ſanitatem celerem. Exinde aestimanda nonnullorum Regnorum conſuetudo, in quibus publica Officia & venalia et haereditaria ſunt. Vix poterit ea conſuetudo tam ſapienter tem-*

Ambitus igitur in Civitate enorme crimen, & atrocibus poenis coercendum. Attamen foedissima haec Reipublicae pestis ubique in dies invalescit, atque adeo mirandum non est, virtutem civilem fere omnino periisse, & plerosque non egregiis in Rempublicam meritis adquirendis, sed opibus cumulandis studere Cives, cum his tantum non illis praemia, & munera publica proposita sint. Ita ut de multis Europae urbibus illud usurpari posset, quod *Jugurtha* de Roma gravissime dixit apud *Sallustium*: *O Urbem venalem, & cito perituram si emptorem invenerit!*

§. 17. *De Judicibus, ubi de singulari certamine, sive Duello.*

Primum igitur inter publica munera locum obtinet Judicum officium, sive Ma-

---

perari ut in Reipublicae detrimentum non vergat, nam ut egregie Alexander Severus *apud* Lampridium *Cap.* 49. *dixit*, „ necesse est ut qui emit vendat „ . *Vid. tamen* Richelieu *Testam. Politique P.* 1. *Sect.* 1. *Cap.* 4.

giſtratuum, quorum curae Legum exſecutio, & interpretatio doctrinalis eſt demandata. Legum interpretatio nil aliud eſt hic loci, quam declaratio Judicis, per quam pronunciat factum aliquod particulare, de quo exorta eſt controverſia, contineri in ipſa Lege, quae eſt Regula quaedam generalis. Huiuſcemodi declaratio fit ex praeſumpta quaſi Summi Imperantis voluntate, qui Regulam condens generalem id voluiſſe praeſumitur, quod neceſſario ſub generali praecepto continetur juxta regulas rectae interpretationis.

Beatam dixeris Gentem, apud quam Judices a ſumma Poteſtate conſtituti ſint Civium omnium ſapientiſſimi, & Juris peritia, & in primis morum integritate praeſtantiſſimi, ſed beatiorem merito nuncupaveris, ſi eius Leges non multae, (1) non perplexae, & obſcurae, non ſubtilibus, ſolemnibuſque formulis oneratae, ſed ſim-

---

(1) *Ubi plurimae Leges, ibi & lites, & mores improbi*. Tacitus *Lib.* 3. *Annal. fatetur* in corruptiſſima Republica plurimas fuiſſe Leges.

plices, (1) & omnibus manifestae: absurdum enim est, ut in civitate Justitia civilis tot, tantisque ambagibus involuta sit, ut vix doctissimi omnium eam extricatam denudatamque ceteris exponere valeant. Nonne Lex justi, & jniusti regula? Nonne Legum consilium actiones Civium moderari? Ecquis autem possit actiones suas ad normam Legum componere, quae vel ad immensum numerum excreverunt, vel in codicibus Populo omnino ignotis (2) delitescunt?

Ceterum in Civitate Judicium vice privati belli est constitutum, quod quidem ut

---

(1) Zaleucum, *inquit* Strabo *De Sit. Orb. Lib.* 6. Thuriis olim paucas & simplices Leges dedisse, sed secutos alias per subtilitatem & nimiam curam addidisse, ex quo factum ut celebres magis quam boni redderentur.

(2) *Ut Leges vernaculo idiomate conscribantur regula est ab ipso Romano Jure deducta: En verba Legis 9. Cod. De Legib.* „ Leges sacratissimae, quae constringunt hominum vitas intelligi ab omnibus debent, ut universo praescripto earum ma-

praecipue vitarent homines Societatem Civilem inierunt. Violenta executio igitur juris ſui in Civitate omnino illicita, ſi Judicis copia ſit & Legum, atque adeo Summi Imperii praeſidium praeſtolari ſine irreparabilis detrimenti periculo quis poſſit: Si ſecus neceſſitate coactus quiſque ad ſtatum naturalem redit, & ab aliena vi ſe tuetur iis modis, quos in naturali ſui, rerumque ſuarum defenſione licere diximus. Si igitur fuga vel alia ratione impendentem juris ſui laeſionem avertere quis poſſit, vis in Civitate omnino illicita, & contra Societatis Leges, & jura Majeſtatis adhibetur; ei nempe jus vindicandae injuriae permiſſum. *(1)*

Singularia igitur certamina, ſive ut ajunt *Duella* in Civitate minine toleranda,

---

niſeſtius cognito vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur. „ *Cur qui earum Legum ſapientiam tam venerabundi admirantur eiuſmodi notiſſimam regulam negligunt?*

(1) *Concord. L.* 7. §. 3. *ff. Quod vi aut clam. L.* 10. §. 16. *ff. Quae in fraudem cred. Vid. ſupra P.* 1. *Tom.* 1. *Cap.* 7. §. 8. *&* 9. *et Cap.* 9. §. 4.

utpote quae Societatis consilio, & obiecto directe adversantur, & Summi Imperii jus laedunt. Ut mos istiusmodi a barbararum Gentium in nos derivatum Graecis, Romanisque fortissimis viris omnino ignotum eradicetur omnino conclamarunt Philosophi, boni omnes exoptarunt, frustra tamen; adeo animos hominum falsi honoris phantasma quoddam incessit, quo obcoecati arbitrantur se ignominia quadam affici, nisi illatam injuriam, aut calumniam stricto ense repellant: vir tamen fortis is appellandus, qui nullius periculi metu deterretur ab explendis officiis suis, vir autem meticulosus, abiectus, & pusilli animi is est, qui minimo periculi metu officium suum transgreditur (1); nullam ego

---

(1) „Sed ea animi elatio, quae cernitur in periculis, & laboribus, si justitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis in vitio est . . . . . Animus paratus ad periculum si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciae potius nomen habet, quam fortitudinis„. Cic. *de Offic. Lib.* 1. *Cap.* 19. *Vid. Juris nostri P. I. Tom.* 1. *Cap.* 7. §. 8. *pag.* 172. *Not.* 1.

aliam animi fortitudinem veram, non alium timorem, qui vitium dici poſſit, novi.

§. 18. *De mutuis Imperantis, & Subditorum Officiis quod ad munera publica.*

Ex adnotatis patet cuicumque Civi jus eſſe ut ab Imperante eligatur ad Munus aliquod publicum, cui obeundo par eſt, quod jus tamen eſt imperfectum.

Et cum cuique impoſita ſit obligatio ut Bonum commune quantum in eo eſt promoveat, poterit ſine audaciae nota merita ſua ſummo Imperanti exponere, ut ei publicum Munus conferatur.

Muneris publici collatio Mandato omnino aequiparatur, atque adeo inter Imperantem, & Miniſtrum pactum initur, quo alter promittit ſe Munus ſibi demandatum obiturum, alter non revocaturum mandatum ſine cauſa, omniaque ei collaturum emolumenta, quae Lege, vel conſuetudine ejuſmodi tributa ſunt muneri.

Neque Imperanti igitur licet jus collatum publico Miniſtro ſine cauſa auferre, neque ei officium ſuum irrequiſito, & inconſulto Principe, aut cum pubblicae ſalutis detrimento deſerere.

Quin Imperanti jus est cogendi etiam invitum (1) Civem, ut Reipublicae utilem locet operam, quod jus a Potestate eminenti ortum ducit, de qua inferius.

§. 19. *Septimum Jus Majestatis* MONETAM CUDENDI.

I. Nullum fere Commercium inter homines sine pecunia, cuius publica, & perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret. Imperantis est commercia rerum, sine quibus necessaria, & jucunda ad vitam transigendam sibi comparare Cives non possunt, amplificare; ergo Imperantis officium illud est, ut curet, ne communis haec pretii rerum omnium mensura in Civitate desit.

II. Nec satis est tamen, ut argentum, & aurum in Civitate praesto sit: permutationum difficultates eo pacto imminutae

---

(1) *Praeclare* Cicero *pro* Plancio „ Stare debemus omnes tamquam in orbe aliquo Reipublicae, qui quoniam versetur, eam deligere partem debemus, ad quam nos utilitas illius salusque convertent „.

quidem, non omnino ſublatae; ut enim commercia inter Cives, & apud exteras Gentes exerceantur quiſque debebit & aequa lance argenti, & auri ſummam, cum qua rem aliquam permutat, ponderare, & diligenter experiri, an pecunia pura, ſinceraque ſit. Sinceram autem dicimus, cui nulla heterogenea corpora permixta ſunt, quod quidem intellexiſſe homines, cum pecuniam conſtituerunt, manifeſte patet; nullo enim alio pacto pecunia conſtans, & perpetua pretii rerum omnium menſura eſſe potuiſſet: primum quidem moleſtum, & Commerciorum facilitati, & celeritati omnino adverſum, alterum difficile, & fraudibus, litibuſque, & turbis maximis in Civitate obnoxium. Cum enim aurum, & argentum conflare, in homogeneam maſſam redigere, & jam redactae ſinceritatem, & puritatem detegere, & indagare longum, & difficile ſit artificium, nefas omnino eſt, ut quiſque privatus per ſe haec efficiat, atque adeo fraudibus non circumveniatur.

III. Itaque ad officia Imperantis pertinet haec duo, ſine quibus juſta commercia exerceri nequeunt, vi ſummi Imperii

regere. Hinc Monetae origo apud Gentes, quae nil aliud eſt, quam pecunia jam conſtituta unanimi hominum conſenſu in partes diviſa, quas quidem aliqua certa nota conſignat Imperans, & fidem Populo facit eas auri, vel argenti ſinceri certum pondus continere. Si moneta igitur tantum reipſa auri, vel argenti puri pondus habeat, quantum Imperans ipſe indicavit, ſincera, & proba (vulgo *Leale*), ſi ſecus, corrupta, & improba (vulgo *adulterata*, *o ſcadente*) dicitur. Aurum, & argentum purum menſura eſt perpetua, conſtans, & univerſalis: quapropter pondus auri, & argenti puri, quod reipſa in moneta continetur, ejus valor intrinſecus dicitur, pondus autem, quod promittit, extrinſecus. Si pondus promiſſum ponderi vero reſpondet, idem tunc valor intrinſecus, & extrinſecus eſt, ac moneta ſincera.

IV. Ex conſilio & origine monetae ſequitur Imperantem ad monetam ſinceram (1)

---

(1) *In Regno Angliae Wilhelmo III. imperante adeo abſumta & abraſa partim*

cudendam obligari, deductis tamen impenſis ad eam cudendam, ſignandamque neceſſariis.

V. Si valorem monetae extrinſecum maiorem quam intrinſecum conſtituat & fidem publicam fallit, quod iniuſtum & indecorum, & Rempublicam ob eam rem ditiorem non reddit (1); cum enim Reipublicae, atque adeo Principis opes, ſi pe-

---

tempore, partim hominum fraudibus moneta erat, ut fere tertia juſti ponderis parte deficeret. Regni Senatus decrevit auctore Joanne Lockio *viro Philoſopho, ut tota impenſis publicis recuderetur. Vid. eius Lib. De Monet.*

(1) Alphonſus X. *Caſtiliae Rex ſinceram omnem monetam ſtulta avaritia ductus collegit, novamque & improbam conflavit. Quid inde? Extemplo pretium rerum omnium crevit, Rex autem per fraudem illam ſuam nil aliud lucratus est quam publicam exſecrationem.* Marian. *Hist. Lib.* 3. *Cap.* 9. *Non defecerunt & hac nostra aetate qui veterem & exſecratam fraudem ad Regni artem & uſum traduxerint non ſine Europae totius detestatione: ſed odioſa ſunt nostrorum temporum exempla.*

cunia supputentur, constent ex quantitate, vel summa auri & argenti puri, quod vel in publico aerario, vel apud privatos quosque invenitur, si heterogenea metalla monetae permisceantur, quantitas pecuniae sincerae nullo pacto augetur. Quod si arbitretur se exteras Gentes eo pacto decepturum, quod tamen bonorum omnium exsecratione dignum est, fallitur quidem; nam Gentium Rectores, cum quibus commercia exercet, facili negotio monetam ad examen revocant, eique intrinsecum illico pretium, vel valorem statuunt: atque adeo cum numquam publicae expediat utilitati, monetam adulterare, Principi nunquam jus esse potest eam minus sinceram cudendi.

VI. Multo igitur magis curet oportet Princeps, ne quis privata auctoritate monetam cudat, sive corruptam, sive sinceram (1); si enim corrupta cuditur Reipu-

---

(1) *Vid.* L. 8. & 9. *ff. ad Leg. Corn. de Falsis*, L. 1. 2. & 3. *Cod. De fals. monet. ubi qui monetam adulterinam flant, tingunt, fingunt, vel probam adulterant, ra-*

blicae damnum infertur irreparabile, ſi ſincera jus Maieſtatis laeditur, & via facilis fraudibus recluditur.

VII. Idem intelligendum eſt & de exterarum Gentium moneta, quae non prius admittenda, quam a ſummae Poteſtatis Miniſtris ad trutinam revocetur, eiuſque ſtatuatur intrinſecus valor. Ni diligenter, & mature Populus moneatur immedicabile publicae utilitati vulnus infligitur.

§. 20. *Octavum Jus Maieſtatis*. VECTIGALIUM IMPOSITIO, *ubi* DE DOMANIIS.

Multa hactenus de conſtituenda, & adminiſtranda Republica diximus, quae tamen omnia

---

dunt, excindunt, lavant, vel etiam privatim cudunt, idest non in publica officina, Maiestatis rei pronunciantur, & flammis ſubiiciuntur, & in criminis odium ipſa domus, in qua moneta improba conflatur, feritur, cuditur, propter ſolam incuriam, vel negligentiam Domini publicatur: Nec quidem immerito; aequum enim est, ut quiſque publicis fraudibus, ſi poſſit, intercedat. Vid. in Cod. Theodoſ. Tit. De falſ. monet. Si quis ſolidum circul. circuncid. Si quis pecun. conflav.

omnia Imperantem assequi sine impensis non posse manifeste liquet (1): ei igitur jus sit oportet id omne, sine quo Respublica administrari nequit, ab iis exigendi, qui ad id praestandum per ipsum societatis contractum se obstrinxerunt.

De Vectigalium impositione Principia Generalia.

I. Nisi Legibus fundamentalibus cautum sit quae Vectigalia, & quo pacto exigenda, judicio Imperantis relinquenda & Vectigalium mensura, & ea exigendi ratio; is enim tantum in hypothesi Reipublicae indigentiam novit. Vectigalia voco tributa omnia, vel realia, vel personalia, vel mixta, quae privatis imponuntur ad necessitates Reipublicae sustentandas.

II. Quisquis in Civitate est, atque adeo emolumentorum ab Imperio publico ma-

(1) „Nec quies Gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt„. Tacit. *Histor. Lib.* 4. *Conf. Novell.* 16.

nantium particeps (1), pro rata contribuat oportet: nullus immunis esse debet, nisi utilitatis publicae gratia.

III. Tributa publica cuiusque civis opibus sint proportionalia oportet, ut nemo ad egestatem redigatur, quod est contra Civitatis obiectum: itaque non viritim, sed pro habitu pecuniarum census instituendus.

IV. Non ultra Reipublicae necessariam indigentiam vectigalia imponenda; optimusque omnium is erit Princeps, qui omnem adhibuerit diligentiam, ut Respublica recte administretur cum minimo subditorum dispendio. Vectigalia enim quomodocumque exigantur privatorum patrimonium imminuunt, quod ut plurimum fieri nequit sine felicitatis privatae decremento, felicitas autem publica, quae una ab Imperante promovenda, ex subditorum particulari felicitate constituitur. Quid autem utilius, &

---

(1) Quapropter & extranei, si agros in Territorio possideant, Tributa realia solvunt; item advenae, & transeuntes, navigantes &c. de quibus in Jure Gentium *dicemus.*

Reipublicae conducibilius ſit ſtatuere, quod attinet ad tributorum quantitatem, & exactionem, ad prudentiam politicam ſpectat.

V. Inter Reipublicae onera ordinaria illud enumerandum eſt, ut Imperantis perſona magnifico quodam, & ſumptuoſo apparatu vitam agat. Praeſtat enim, ut Populus externa etiam quadam pompa percellatur, exciteturque ad ſummi Imperantis venerationem. Qui igitur certi redditus ſuſtentationi, & decori externo Principis ſunt conſtituti, *Bona Domanialia* (1) appellantur; iiſque ad utilitatem ſuam privatam utitur Princeps ex ſententia. Non tamen fundos ipſos diſtrahere poterit, quippe quorum uſusfructus Principi, non autem Dominium translatum a Populo eſt: quapropter Bona hujuſmodi *Bona Regia (Beni della Corona)* non immerito nuncupantur, quippe quae ad ſucceſſorem jubente Populo in delatione Imperii transmittuntur. Exinde etiam fit,

---

(1) *De Vocis etymo vid.* Ducange *Gloſs. med. & inf. Latin. Verb.* Domanium.

ut contra Bona Domanialia nulla praeſcriptio valeat, qui enim expreſſe non poteſt, is neque tacite poterit rem alienare. Bonorum tamen Domanialium alienationem inter Gentes validam eſſe non dubito; tunc enim Princeps Populum repraeſentat, & Domanialia Bona conſenſu Populi alienantur.

§. 21. *Nonum Jus Maieſtatis* POTESTAS, ET DOMINIUM EMINENS.

Jus imperandi differt omnino a Dominii jure. Translato Imperio licet ſummo, & abſoluto, non tamen Dominium fundorum, qui a privatis poſſidentur, translatum intelligitur (1): attamen cum per ſocietatis ipſius pactum homines ſe obſtrinxerint ad publicam ſalutem collatis viribus promo-

---

(1) *De hac re uberius dicemus in Jure Gentium. De Dominio eminenti diu multumque diſputatum eſt inter* Johannem Fridericum Hornium *Diſſert. de Domin. ſuperemi-nent.* Andr. Craſium, *&* Helen. Politian. *Diſſert. de eod. argum*, *&* Wilhelmum Lyſerum, *qui doctrinam* Hornii *labefactare conatus eſt*.

vendam, vires autem Civium ab eorum actionibus, & bonis conſtituantur, ſi Imperium abſolutum translatum eſt, Imperantis erit dignoſcere, an privata Civium jura quod ad eorum bona, & libertatem cum ſalute publica collidantur, & neceſſitate exigente ea limitibus circumſcribere, ſuſpendere, vel etiam auferre omnino.

Jus iſtiuſmodi, ſine quo ſummum Imperium exerceri nequit, ſi liberas Civium actiones reſpiciat, *Poteſtas eminens*; ſi bona, *Dominium eminens* dicitur, quod ad neceſſitatis jura referri poteſt, & iiſdem regulis ponderari. Jura igitur Civium naturalia, quae ad finem Civitatis aſſequendum non faciunt, ut ecce Dominium privatum, & Libertatem civilem aggredi, Principi illicitum, niſi id ſummum Reipublicae diſcrimen, aut communis Boni neceſſitas expoſcat. Inde jus Principi in bona, & perſonas Civium (1), quod tamen ſupraſcriptis limitibus definitur. X 3

(1) *Opportune* Seneca *de Benef. Lib.* 1. „ Ad Caeſarem Poteſtas omnium pertinet,

Cum tamen omnes tacite in id conſenſerint, ſe jura naturalia, quae illaeſa in Civitatis conſtitutione eſſe debuerant, neceſſitate exigente publicae ſalutis gratia dimiſſuros; ſi medium unicum ſaluti publicae conſulendi ſit privati alicuius juris privatio, damnum illatum ab omnibus pro rata reparandum; aequum enim non eſt, ut ſingularis Civis propriis tantum impenſis publicam ſuſtentet neceſſitatem, cum ceteri & poſſint, & debeant ſymbolam conferre. Quaeſitum eſt, an in praeſenti diſcrimine, & periclitatione Reipublicae Civis alicuius vitam ſaluti publicae immolare Imperans poſſit. Cum jus omne ab obligatione deſcendat, ut perplexitates vitentur, ſic quaeſtio proponatur: quaeritur, an in Societatis civilis conſtitutione ſinguli ſe obſtringere poſſint ad vitam propriam immolandam, ſi quando accidat, ut nullo alio pacto mors

---

ad ſingulos proprietas; Caeſar omnia Imperio poſſidet, ſinguli Dominio „ Plin. *Jun. Panegyr.* „ Cujus eſt quidquid eſt omnium, tantum ipſe, quantum omnes, habet „.

universorum, atque adeo extrema Reipublicae pernicies vitari possit; & posse licite dicendum est, si licita, si generi humano utilissima, si sanctissimo, & inviolabili foedere civilis Societas est constituta. Nisi enim universis in singulos, sive Imperanti in Cives jus sit unumquemque cogendi, ut Reipublicae periturae opem praestet, cum vitae propriae vel discrimine, vel certo etiam dispendio, jam nulla Civitatis securitas, quam si facto impetu hostis aggrediatur in praeceps ruere & dissolvi omnino certum est. Vel igitur Civitatis constitutionem illicitam esse dicendum est, vel cuique permissum naturali Lege, ut obligationem, de qua agimus, licite ineat, in pacto enim sociali necessario includitur. Huc revocentur velim quae supra de jure necessitatis diximus, & memoria repetatur cuius indolis sint naturae Leges; nam quamvis in propriam necem consentire nemini in genere, & abstracte, ut Scholae aiunt, licitum sit, si tamen necessitatem quasi tibi Deus ipse obtulit, ut cum vitae tuae dispendio, vel multorum hominum, vel universi humani generis felicitati, & utilitati consulas, iam

non tantum pulcher, & decorus eft confenfus in tui necem, fed & ipfa mors honeftiffima (1). Quapropter & *Curtius*, & *Publius Decius*, & *Decii* Filius, & *Codrus* Rex Athenienfium, qui magnanimitate fingulari vitam Patriae fuae devoverunt, in Deorum numerum quafi relati funt, eorumque memoriam, ne Patriae quidem interitus extinxit.

Ceterum a Poteftate, five Imperio eminenti jus Belli ortum ducit: cum nempe publica fecuritas in difcrimen adducitur de vita fubditorum ftatuit Imperans, iubetque, ut quifque pactum, quo fe obftrinxit collatis viribus commune Bonum promoturum, & vim externam propulfaturum, fervet.

Militiae igitur confcriptio ad Jura Maieftatis pertinet, cui fecuritatis publicae cura commiffa eft in delatione Imperii, &

---

(1) „ Hoc enim Jus, *inquite gregie* Tullius, Jupiter ipfe fanxit ut omnia, quae Reipublicae falutaria funt, legitima, & jufta habeantur „.

quam sartam tectam tueri nefas, nisi armato milite defendatur. Nullus qui validus sit in Civitate a militia exercenda excusandus, nisi utiliorem Reipublicae navet operam. Quisque Civis idem & miles necessitate emergente per pactum sociale esse debet, quisque enim spopondit pro salute publica pugnaturum. Et cum nullus alius nisi Imperans jus habeat in suo territorio milites conscribendi, manifeste constat, Majestatem laedere eum, qui vel furtim, vel per vim eo jure utitur, Principe irrequisito, & inconsulto; potest enim Princeps permittere, ut subditi exterae Genti militarem operam praestent, si id publicae saluti expedire videatur, ut ecce: si Populi numerus ultra utilitatem & necessitatem Civitatis augeatur, si eo pacto ars militaris, quae ob diuturnam pacem excideret, addiscitur &c.

§. 22. *Decimum Jus Maiestatis* Circa Sacra.

De jure Principis circa Sacra vix loquor, cum ea omnia, quae in praesentis Religionis statu dici possent partim potius

ad Jus Canonicum Publicum, quam ad noſtram Diſciplinam pertineant, partim ab juribus Maieſtatis, quae hactenus expoſuimus, facile deduci poſſint.

Ea res in cauſa fuit, ut etiam ab officiis hominum erga Deum exponendis abſtinerem. Religio quidem hominum naturalis paucis expeditur. Quiſque ſentit Legis naturalis conditorem Deum eſſe optimum, ſapientiſſimum, qui vindex, & Judex ſit eorum, quae geruntur in Terris, qui Legis vel cuſtodes, vel violatores aut praemio, aut poena etiam poſt cineres afficiat.

Dei Immortalis ſapientiſſimi, optimi, potentiſſimique opinione conſtituta, manifeſte conſtat homines ad ſervandam Legem excitari debere praecipue a rationibus ab ipſius Dei voluntate deductis, in quo maxime *internus cultus* Divini Numinis conſiſtit; atque adeo qui habitum adquiſivit agendi omnia ex motivo voluntatis Divinae ſeu quia id agendum, vel non agendum Deus iuſſerit, *Pius* dicitur. *Pietas* igitur antecedentem Naturalis Legis cognitionem ſupponit.

Quapropter cum perfectio intellectus, & voluntatis sit comparanda, ipsa naturalis ratio, ipsa hominis natura & essentia atque adeo Lex naturalis jubet, ut & summi Numinis cognitio integra, & perfecta adquiratur, & praecipue voluntas determinetur ex praecellenti ratione a Divina voluntate deducta.

Si ad agendum impelleris una felicitatis humanae promovendae ratione, naturali, & civili virtute praeditus diceris, si & Dei iubentis, imperantis, volentis rationem habeas in agendo, virtuti *Pietatem*, & *Religionem* addis, quae obligationem tuam fortasse in quibusdam vitae conditionibus labantem, & infirmam erigit, recreat, & confirmat. Qui igitur naturali Lege iuberis, ut perpetuam, constantemque Legis servandae voluntatem compares, idem etiam iuberis, ut perpetua tibi sit in agendo Divinae voluntatis ratio, qua Justitiae, & Virtutis habitus magnopere perficitur, & confirmatur.

Huc accedit Divinae naturae excellentia, cuius contemplatione ex ipsius na-

turae tuae neceſſitate interni excitantur amoris, ſpei, timoris, reverentiae ſenſus, qui utpote naturales naturali etiam Jure iubentur. Abſurdum enim eſt, ita eſſe homines a Natura comparatos, ut Summi Numinis attributa, & praecipue potentia cum bonitate, & ſapientia coniuncta eiuſmodi adfectus in eorum animis excitent, & Naturam non imperaſſe ut iſtiuſmodi ſint erga Deum conſtantes, & perpetuae animi humani modificationes.

Hic tamen naturalis Religio ſubſiſtit, nam quamvis naturali officio quiſque debeat internum cultum externis etiam actibus declarare, attamen cuique integrum relinquitur in naturali ſtatu cultum illum externum ſeligere, quem magis Divino Numini acceptum fore ipſi videbitur; nemo enim eſt qui jus habeat alium cogendi, ut hanc potius, quam illam cultus externi rationem ſequatur.

Itaque id tantum fortaſſe Philoſopho inveſtigandum relinquitur, quaenam ſcilicet cultus ſpecies ſit rectae rationi conformior, & Divinae naturae accommodatior. Sed quid

ex eiusmodi investigatione utilitatis? Humana, & infirma ratio conticescat oportet inter Christianae Religionis sectatores, quibus Deus Optimus Maximus per Filium suum loquutus est, & quo pacto honorari velit expressa Lege imperavit. A Divinae igitur Legis interpretibus Religionis Theoria, & Praxis haurienda, & naturalis ratio, quam unam in Disciplina nostra sequimur, in Fidei obsequium captivanda.

Quod igitur ad nos attinet, haec sint de jure Principis circa Sacra Principia generalia.

I. Jus circa Sacra nempe circa Doctrinam publicam de Deo, & circa ceremonias, ritusque, quibus Divino Numini est exhibendus honor, ut cetera jura omnia apud Populum originarie est, & ex eo apud summum Imperantem.

II. Is statuit igitur communibus suffragiis Religionem publicam quam omnium acceptissimam Deo fore arbitratur, & quam quidem externe saltem violare nemini jus est: Externe inquam, internas enim ani-

mi modificationes Imperio publico non ſubeſſe alibi diximus.

III. Religio igitur in Civitate tamquam Lex publica, qua hominum actiones ad Cultum Dei externum diriguntur, ſpectari poteſt, & Sacerdotes a ceteris Reipublicae miniſtris non differunt, atque adeo eorum electio, muneris praeſcriptio, & commerita a miniſterio, & officio depoſitio ad Populum ipſum, vel ad ſummum Imperantem ſpectat, in quem Populi jura translata ſunt, niſi aliter Legibus fundamentalibus cautum ſit.

De Religione in genere loquor, non autem de ea, quam Chriſtus errores hominum miſeratus de Coelo in Terram adduxit; Divinum enim Sacerdotium, quod in Chriſtiana Religione peculiare omnino eſt, quibusdam finibus humanam circa Sacra temperat poteſtatem.

IV. An vero Cives ad externum cultum cogendi ſint, an diſſentientes publice tolerandi, ars Politica diſquirit. Illud certum eſt a Principe tolerandam nullo pacto eſſe Religionem, ſi qua fuerit, quae directe

obiecto, & consilio Civitatis adversaretur (1).

---

(1) Cetera Maiestatis jura, quae ad Gentes, Populosque exteros referuntur, in tertia Parte Juris nostri exponentur.

Finis Tomi II.

INDEX CAPITUM ET PARAGRAPHORUM, QUI IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.



CAPUT XVII. *De Societate Paterna & Herili* .

CAPUT II. *De diversis Rerumpublicarum formis.*

CAPUT III. *De Administratione Reipublicae & Juribus Maiestatis.*

FINIS.

ERRATA. CORRIGE.

Pag.	v.	Errata	Corrige
13.	3	licitae =	Adde = Licitas enim eas esse aliquando diximus supra Tom. I. Cap. XI. §. 18.
74.	8.	definisse	definiisse
110.	21.	&	e
112.	18.	acclu-duntur	occluduntur
141.	3.	tamen	autem
144.	14.	educa-tiones	educationis
147.	1.	obligara	obligata
164.	2.	hypote-thica	hypothetico
187.	28.	deturba-tis	deturbabis
220.	20.	exerci-tium, juris	exercitium juris
224.	ult.	Princeps, ... agit	Princeps agit,
257.	11.	enume-radis	enumerandis
269.	1.	gravio-ribus, poenis	gravioribus poenis

